DE

VENERABILIS HILDEBERTI

VITA ET SCRIPTIS.

DE
VENERABILIS HILDEBERTI,

PRIMO

CENOMANENSIS EPISCOPI,

DEINDE

TURONENSIS ARCHIEPISCOPI,

VITA ET SCRIPTIS

SEQUENTEM **THESIM** PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM CADOMENSI

Victor
V. HEBERT-DUPERRON,

in eadem Facultate jam LICENTIATUS.

BAJOCIS,

EXCUDEBAT A. DELARUE,

via dicta Sancti Joannis.

M DCCC LV.

Lane fund.

OPTIMO ET ILLUSTRISSIMO

D. D.

EPISCOPO BAJOCENSI ATQUE LEXOVIENSI

LUDOVICO FRANCISCO ROBIN,

ROMANO COMITI

SOLIOQUE PONTIFICIO

ASSISTENTI,

FAUTORI ET PATRONO LITTERARUM

HOC QUALECUNQUE OPUSCULUM

SUMMÆ REVERENTIÆ TESTIFICANDÆ CAUSA

D. D. D.

V. Hebert-Duperron.

PROŒMIUM.

Triplex erit hujus disputationis quæstio: prima de V. Hildeberti vita, secundaque de ejus scriptis; thesis epilogus tertia continebitur.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

DE VENERABILIS HILDEBERTI VITA.

Anno 1708, Venerabilis Hildeberti, primo Cenomanensis episcopi, deinde Turonensis archiepiscopi, opera edidit, dedicavitque Cæsari d'Estrées, cardinali-episcopo Albanensi, quem laudibus forsan nimiis cumulat, Antonius Beaugendre, presbyter et monachus ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri.

Equidem susceptum opus summa cura atque diligentia, collatis inter se manuscriptis quaquaversus sparsis, tractasse contendit. Verumtamen, vel prop-

ter octogenariam, jam tunc ipsi imminentem, ætatem (1), ex quâ impar erat judicio censuræque de omni Hildeberti scripto faciendis; vel quod proprium est humanæ imbecillitatis vitium, nonnullæ in hancce editionem mendæ irrepserunt (2). Præterea, ex quo prodiit illa Beaugendriana editio, opusculum quoddam magni prorsus momenti, ideoque recensendum, detectum est apud Germanos (3).

Quod ad ipsam Hildeberti vitam attinet, plurima jam pridem, et ea non indocte, de ea scripta sunt (4). Quæ quidem ab initio, ne jam absolutum opus inchoare nullo emolumento videar, in unum colligere, et quam brevissime, congruum est.

Ferunt igitur Hildebertum, anno 1054 ortum in agro Lavarzino, non ex illustri quidem Lavarzinorum familiâ (5), nec tamen ex infimis, ut quidam

(1) Beaugendre, ad Hildeberti opera, *Præfatio*, p. ii.

(2) V. *Histoire littéraire de la France*, t. XI, art. Hildebert. passim; — *Recueil des historiens des Gaules et de la France*, t. XV, p. 312-328, passim.

(3) V. Guill. Otto, *Commentarii critici in codices bibliothecæ academicæ Gissensis græcos et latinos, philologicos et medii ævi historicos ac geographicos.* Gissæ, 1842.

(4) V. *Acta Cenomanensium episcoporum*, ap. Mabillon, *Vetera analecta*, t. III, p. 308-327; — Beaugendre, *Hildeberti vita* operibus hujus episcopi præfixa, p. xvii-xxxv; — *Hist. littér. de la France*, t. XI, p. 250-278; — *Recueil des historiens des Gaules et de la France*, t. XII, p. 545-552; — Hauréau, *Hist. littér. du Maine*, t. I, p. 195-216; — L'abbé Voisin, *Polyptiques de l'Église du Mans*, p. 415-430.

(5) *Recueil des hist. des Gaul. et de la Fr.*, t. XII, p. 545.

male opinantur (1), parentibus, patrem habuisse *in rebus agentem* (2); matrem nomine Hersindim; tres fratres, Salomonem scilicet, Drogonem et Gaufridum. Quorum ille Deo apud Majus monasterium mancipandus oblatus est, susceptusque « a Domno abbate Alberto et cæteris fratribus... propter patris familiaritatem probatosque in Dei timore mores (3).»

De Salomone Drogoneque, Hildeberti fratribus, nihil traditur. Non ita vero de Hildeberto. Quem enim accepimus jam a pueritiâ disciplinis bonisque artibus institutum (4), postea humanioribus litteris et philosophiæ sub Berengario institisse (5), et tamen nihil unquam, ut videbitur, ex ejus erroribus hausisse, præceptorique suo, ad sanam doctrinam

(1) Bayle, *Dict. hist. et crit.*, t. III, p. 343. Note e.

(2) Ducange, ad verbum *agens in rebus.*

(3) V. Baluze. *Miscellaneorum*, l. VII, t. vii, p. 209. Constat ex eodem Gaufridi patrem præfato monasterio tunc dono contulisse « terram in Varennâ Vindocinensi consistentem unius caraccæ proscissioni sufficientem, duos de censu solidos in festivitate Sancti Martini Æstivali Salomoni de Lavarzino solventem..... Addidit et unum agripennum terræ arabilis ad Melchim de fevo supra taxati Salomonis, ipso identidem assentiente. Tribuit adhuc Majoris monasterii Fratribus duodecim denarios census de uno agripenno Archemberti consanguinei sui, ut sicut ei censum istum idem Archembertus quotannis in solemnitate suprafata reddebat, eodem Sancti Martini monachis tenore ipsa eadem celebritate solvat. Hæc omnia uxor Hildeberti et filii libenter satis auctoraverunt. » (*Ibid.*, p. 209-210.)

(4) Ap. Mabillon, *Veter. anal.*, t. III, p. 303.

(5) Guil. Malmesburiensis, *De Gest. Reg. Ang.*, l. III, p. 113; -- Joan. Maan, *Ecclesia Turonensis*, p. 103, n° 2; -- *Gallia chris-*

reverso (1), laudes impertiisse ultra forte quam satis erat (2).

Disputatum est an sub S. Hugone, Cluniacensis cœnobii abbate, monasticam vitam professus fuerit necne, aut saltem sacris litteris, austeritate monasticæ haud absimili adjuncta, operam dederit. Sunt enim rationes et argumenta non levia, quæ apud Beaugendre reperire est, quæque in alterutram par-

tiana, t. II, p. 516. Quæ quidem testimonia impugnantur. V. *Hist. littér.*, t. XI, p. 251. Legitur tamen in eodem opere: « Hildebert avait étudié à Tours sous le fameux Bérenger, et il avait pu perfectionner ses études sous l'évêque Arnauld. » (*Ibid.*, t. VII p. 64.)

(1) De mutata ad fidem catholicam Berengarii mente vide MABILLON, *Veter. anal.*, t. II, p. 490-91. Cfr. CHARMA, *Notice hist. philos. et littér. sur* Lanfranc, 2ᵉ part., p. 129. Note. — *Mém. de la Soc. des Antiq. de Normandie*, t. VII, p. 250 (2ᵉ sér.)

(2) V. *Venerabilis Hildeberti opera*, coll. 1323-1324. Hæc e Berengarii epitaphio carmina depromere satis sit:

« Quidquid philosophi, quidquid cecinere poetæ,
« Ingenio cessit, eloquioque suo.

. . . .

« Vir sacer et sapiens, cui nomen crescit in horas.

. . . .

« Qui non cessavit inopum fulcire ruinas
« Donec inops dando factus et ipse fuit.

. . . .

« Livor eum deflet quem carpserat antea, nec tam
« Carpsit et odit eum, quam modo laudat, amat.....
« Post obitum secum [cum illo] vivam, secumque requi-[escam;
« Nec fiat melior sors mea sorte sua. »

De hujus epitaphii mente vide CHARMA, *Ibid.*

tem videntur inclinare (1). Accedit autem D. Beaugendre argumentis, monachatum Hildeberti sustinentis, manuscriptus liber ejusdem Hildeberti, in Ebroicensi bibliothecâ asservatus. Legitur enim in hujus operis fine: Explicit liber *F. H. de moralitate* (2).

Posito vero Hildeberti monachatu, vix dubitare fas est quin sub S. Hugone monasticam vitam egerit. Initio enim vitæ hujus abbatis testatur Hildebertus se scribere « quod vidit, quod audivit, cuique testimonium perhibet (3). »

Quidquid id est, constat Hildebertum, annos ferme viginti sex septemve natum, ab Hoello, Cenomanensi episcopo, atque ejus eruditionis famâ permoto, scholarum ecclesiæ quam tunc regebat, magistrum electum esse institutumque (4).

Porro tunc temporis Cenomanensis schola, quum antiquitate, tum disciplinarum laude florebat (5).

(1) V. *Hildeberti vita, opp.*, p. 18.

(2) V. Charma, *Notice sur un manuscrit de la bibliothèque de Falaise*, p. 35-36. Note.— Notat Charma, 1° litteras F. H. non alias esse ac initiales auctoris hujusce operis, *Fratris* scilicet *Hildeberti;* 2° Ravaison [*Rapport au ministre de l'Instruc. publ. sur les bibl. des dép. de l'Ouest*, p. 269] non recte ineditum ducere librum qui in hoc manuscripto includitur; 3° reperiri enim inter Hildeberti opera, coll. 950, sqq Edit. Beaugendre. Cfr. *Mém. de la Soc. des ant. de Nor.*, t. X, p. 56. (2° sér.).

(3) *Hildeberti opp.*, col. 911.

(4) Cfr. *Acta Cenoman. epis.*, ap. Mabillon, t. III, p. 303; *Recueil des histor. des Gaul. et de la Fr.*, t. XII, p. 545.

(5) *Hist. littér. de la Fr.*, t. VII, p. 64.

Jam enim a principio et deinceps Cenomanorum ecclesiæ plurimi præfuerunt episcopi, doctrina et virtute conspicui, qui omni ope atque operâ enixi sunt ut inter cleros, et in variis cœnobiis, quæ hinc et inde exstrui curabant, litterarum studia vigerent. Ut prætermittam S. Julianum, primum Cenomanicâ in urbe episcopum, et ab infantia sacris litteris sapienter eruditum (Exeunte 1° sec.; incip. 2° sec.) (1); Victurium [422-490] et Principium [497-511] quos doctrinis SS. Martini et Remigii instructos pleneque eductos tradunt (2); — Bertichramnum [586-623] qui doctrina eloquentiaque clarus et in docendo plurimum versatus dicitur (3); — Aglibertum [670-705], archiepiscopum, cunctorumque episcoporum totius regni magistrum docendo et gubernando (4); — Aldricum [834-857], in aula regia primum enutritum, postea in scholis magistrum constitutum, ac demum Cenomanicæ urbis episcopum (5); — ut illos omnes supradictos prætermittam, non immerito computandi sunt inter præstantes viros qui litteris plurimum profuerunt, Ermenulphus [710-724], Rotbertus, Ar-

(1) *Acta Cenom. epis.*, ap. Mabillon, t. III, p. 50. Cfr *De Scholis a S. Juliano institutis* D. Piolin, *Hist. de l'Egl. du Mans*, t. I, p. 28.

(2) Ap. Mabillon, t. III, p. 70-71.

(3) Fortunat, l. III, c. 21, 28; l. IV, c. 1, 4, 7, 8; l. IX, c. 9.

(4) Ap. Mabillon, *ubi. supr.*, t. III, p. 194. Cfr D. Piodin, *Ibid.*, t. I, p. 371-394.

(5) Mabillon, *ibid.*, t. III, p. 275-277

naldus, Rotberti (1) nepos [1069-1084], necnon Hoellus [1085-1097] (2).

Qui quidem, ad episcopatum evectus, scholarum regimen Hildeberto committi demandarique curavit.

Triplici officio et munere, uti a doctissimo viro Loyauté probatum est, Magistri scholarum fungebantur. Siquidem ipsorum erat docere clericos litteras; denuntiare hæreticorum et excommunicatorum præconium; ac demum monumenta scripturarum, ad res Ecclesiæ pertinentium, conficere (3).

Porro clerici humanarum divinarumque rerum scientia informabantur; et jam ab initio septem disciplinis, quæ trivii quadriviique clauduntur ratione, erudiebantur (4). Iis vero, qui liberalibus artibus diligenter insliterant, « trivii ratio omnium sermonum, et quadrivii lex totius naturæ secreta exponebat (5). » Quod ut assequerentur, is ordo atque mos variis disciplinis studendi.

Omnium prima, et, « tanquam totius literatorii

(1) De Rotberto sic habent Acta Cenom. episc: « Rotbertus grammaticus, sapiens ac religiosus vir, qui tempore suo tam sanctæ doctrinæ exercitio, quam sacrorum librorum instructione, seu dirutarum ecclesiarum restauratione maximam Cenomanensi ecclesiæ utilitatem noscitur contulisse. » (Ap. MABILLON. *Ibid.*, t. III, p. 312*-313*.)

(2) Ap. MABILLON, p. 285-303.

(3) LOYAUTÉ, *Notæ ad V. Hildeberti vitam*, p. XLVI.

(4) GREG. TUR., *Hist.*, l. X; c. 31, n° 19.

(5) J. SARESBERIENSIS, *Metalogicus*, l. I, c. 12. *Opp.* t. V, p. 33. Edit. Giles.

studii altrix (1), » habebatur grammatica. Quare huic ediscendæ juxta Martiani Capellæ, Donati, Prisciani (2), Teuredique (3) præcepta, plurimum insumebant temporis et diligentiæ (4).

Exinde clerici docebantur in dialecticis altercationes propositionum advertere, atque ideo dialecticam ordine Aristotelis librorum percurrere (5). Quibus accedebant plerumque Averrois Commentarii, Porphyrii Introductiones, nec non Categoriæ S. Augustino addictæ (6).

Quibus emensis, rhetoricam apud Chrysippum, Ciceronem et Quintilianum discebant. Nonnulli ta-

(1) J. SARESBERIENSIS, c. 13, p. 34.

(2) *Hist. littér.*, t. VI, p. 47-48.

(3) J. SARESBERIENSIS, *ibid.*, c. XIV, p. 35.

(4) *Ibid.*, c. 24, p. 56-60. — Queritur Saresberiensis minus temporis et diligentiæ, ex quo prodierunt *Cornificii*, in grammaticæ studio impendi. Ex quo, inquit, contigit ut, qui omnes artes, tam liberales, quam mechanicas profitentur, nec primam noverint. *Ibid.*, p. 60. Cfr FULBERTI CARNOTENSIS *Epist.*, 95-97.

(5) RICHERIUS, *Historia sui temporis*, l. III, c. XLVI.

(6) DUCHESNE, *Hist. Franc. script.*, t. IV, p. 259; — MABILLON, *an.*, l. 71, n° 88. — Sub hoc tempus, dialecticâ, quæ ex instituto est ars recte ratiocinandi, a proposito ad vanas quæstiones nonnunquam deflectente, B. Lanfrancus (V. CHARMA, *Notice biographique, phil. et littér. sur Lanfranc*), ipseque S. Anselmus (V. CHARMA, *Not. sur S. Anselme*), de ea scripserunt ut ad pristinum morem revocaretur. Quos secutus est Dr Odo, postea Cameracencis episcopus. Cfr *Spic.*, t. XII, p. 361.

men, ut e Richerio accepimus (1), tirones poetis priùs assuescendos quam ad oratoriam proveherentur artem, arbitrabantur (2). Quibus assuefacti ad rhetoricam traducebantur. Idque injunctum erat non clericis tantum, sed et episcopis, ut ex ejus præceptis sacræ sese informarent eloquentiæ (3).

Hæc sint de logica quæ trivii ratione includebatur.

Quod ad quadrivium attinet, clerici in arithmetica, quæ est matheseos prima, numerorum partibus; — in geometricis terrarum linearumque mensuris: — in astrologis cursibus siderum contemplandis; — ac demum in harmoniis sonorum modulationibus erudiebantur. Etsi vero e Gerberti atque Abbonis Floriacensis inventis disciplinaque plurima documenta in medium, seculo proixme elapso, prolata fuissent, non multum tamen in his artibus proficiebatur (4). At plerumque, ut, verbi gratiâ, sideralem scientiam memorem, ars illa perperam tractabatur. Quod deduci potest ex iis quæ apud

(1) Richerius, *ubi sup.*, c. XLVII.

(2) De Gerberto sic habet Richerius. « Legit itaque ac docuit Maronem et Statium, Terentiumque poetas, Juvenalem quoque ac Persium, Horatiumque satiricos, Lucanum etiam historiographum. » *(Ibid.)* Cæterum tunc temporis præstantissimi viri, ut de S. Maïolo, Cluniacensi abbate, refertur, poetis studebant. Cfr. *Hist. littér.*, t. VI, p. 50.

(3) Vide infra quid ea de re statuerit Hildebertus, pars 2ª, c. II, § 6.

(4) *Hist. littér.*, t. VII, p. 137.

Ordericum Vitalem de Gisleberto, Lexoviensi episcopo, narrantur. Qui, cum esset multarum artium peritissimus, singulis quidem noctibus sidera diu contemplari solebat, ea vero nonnunquam de causa ut ventura ex eorum cursu denotaret (1).

In hujusce astrologiæ derisum, Hildebertus, forsan inter docendum clericos, carnem dicitur scripsisse, quod *Mathematicus* inscribitur (2).

(1) Or. Vitalis, *Hist. eccl.*, l. IX, p. 718. Ea Vitalis narratio: « Anno ab Incarnat. Dom. MXCV, Indict. III. in Galliis ab innumeris inspectoribus visus est tantus stellarum discursus, ut grando, nisi luceret, pro densitate putarentur. Multi etiam stellas cecidisse opinati sunt... Gislebertus prodigium astrorum Physicus sollicite prospexit, vigilemque qui curiam suam, aliis dormientibus, custodiebat, advocavit: « Vides-ne, inquit, Glatheri, hoc spectabile signum? — At ille: Domine, video; sed quid protendat nescio.—Senex ait: Transmigratio populorum de regno in regnum, ut opinor, præfiguratur. » *Recueil des hist. des Gaules et de la France*, t. XII, p. 661.

(2) Quod quidem poema, e manuscripto Elnonensi erutum, typis mandavit Beaugendre (Hild. *Opp.*, coll. 1295-1310). Idem vero poema Dus Cousin reperit in manuscripto 6415 in-f° bibliothecæ regiæ dictæ, inter opera Bernardi Carnotensis. Unde difficile prorsus videtur genuinum Mathematici auctorem denuntiare. Ea vero analysis quam profert Dus Cousin, quæque omnino consonat poemati a Beaugendre edito :

Les auteurs de l'histoire littéraire, dit M. Cousin, font mention du *Mathematicus* sans en donner le titre, mais en citant les deux premiers vers :

« Semper ut ex aliqua felices parte querantur
« Leges humanæ conditionis habent. »

Ce poème, qui est incomplet, semble fait pour prouver que

Præterea Scripturæ sacræ et SS. Patrum, præcipueque Augustini necnon Gregorii Magni studio tradebantur clerici (1).

Adde ecclesiastica officia. Quibus quanta diligentia incumbendum esset ex hoc patet quod refertur de Guidone, qui, post Hildebertum, Cenomanensis fuit episcopus, atque etiam scholarum magister. « Infantes cum junioribus, qui in choro deserviunt, docuerat binos et binos singulis hebdomadibus, tam

nul ne peut échapper à sa destinée, qui est écrite dans les astres.

Deux époux accomplis se désolent de n'avoir pas d'enfants. La femme consulte un astrologue. Il lui annonce qu'elle accouchera d'un fils qui deviendra le maître de l'univers, mais qui tuera son père. Le père, instruit par sa femme de cette prédiction, lui donne l'ordre de faire périr son enfant dès qu'il viendra au monde. Ce fils devient en effet général, puis empereur de Rome. Lorsqu'il apprend de sa mère la prédiction qui pèse sur lui, il assemble le peuple romain, et demande la permission de se donner la mort pour éviter le crime que le destin le condamnerait à commettre. Quelques orateurs cherchent à le détourner de son dessein. Le poème en reste à un discours fort obscur d'un certain Camille :

. . . .

Pone citus trabeam, verum citus exue regem.
Liber et explicitus ad mea vota meus.

Explicit Mathematicus.

Le dernier vers est probablement une addition de quelque copiste qui a cru le poème achevé. Du reste, la perte de la fin de ce poème ne peut donner lieu à beaucoup de regrets ; ce qui nous en reste est plein de longueurs et de déclamations (Cousin, *Philosophie scolastique*, p. 279-280. Edit. in-12).

(1) *Hist. littér.*, t. VII, p. 145-146.

ad Nocturnas, quam ad Missam, responsoria decantare; canonice sacerdotibus ministrare; semper sub silentio, demisso vultu, ordinatis vestibus, horis adstare canonicis. Eos nempe divinis canticis, et cæteris ecclesiasticis officiis attentius erudivit. Rebelles vero et negligentes modo *verbere* (1), modo clementia hortabatur, quatenus bonis artibus animum applicarent. Hoc enim sui juris erat. Nam præcentores cum magistris scholarum ad hoc in Ecclesia constituuntur, quo eorum dispositione canonicum ibidem competenter celebretur officium (2). »

His disputatis de iis quæ tunc docebantur clerici, in promptu est colligere quodnam munus Hildeberto, scholarum ecclesiæ Cenomanensis magistro, incubuerit. Vix etiam dubitare fas est quin illud summa laude, summoque discipulorum emolumento, sustinuerit (3). Plurima Hildeberti opera, de quibus infra dicetur, tunc temporis in gratiam

(1) Hocce emendationis genus tunc temporis frequentatum esse videtur. Sufficiat memorare Bernardum Carnotensem qui « alios (discipulos) admonitionibus; alios flagellis et pœnis urgebat » (J. Saresberiensis, *Metalogicus*, l. I, c. 24; *Opp.* t. V, p. 58.)

(2) Ap. Mabillon, *Veter. anal.*, t. III, p. 330.

(3) L'école du Mans devait être alors florissante. Il n'était pas ordinaire de voir en un Ecolâtre un savoir aussi varié, et autant de talent à écrire en prose et en vers. C'est ce qu'attestent les divers écrits de ce grand homme, dans lesquels on découvre de la netteté, de la politesse, de la précision et un bon goût qui n'était pas commun. » (*Hist. littér.*, t. VII, p. 64.)

clericorum, qui ab eo disciplinam accipiebant, scripta esse, atque in medium prolata contendit Beaugendre. Quod quidem verisimile videtur. Quot autem annis præfatum munus expleverit Hildebertus prorsus ignoratur.

Constare videtur ipsum inter scholarchiam agendum, anno 1092, ætatis trigesimo quinto, in Archidiaconum ab Hoello præsule electum (1).

Tunc temporis archidiaconorum fortuna, consuetudinis obtentu, permultum creverat (2). Siquidem eorum munus ad alterius arbitrium nec adimi, nec mutari poterat.

Hæc vero, inter multa quæ sibi vindicabant archidiaconi, jura revocanda videntur. Eorum erat clericos, ponderatâ doctrinâ, ordinandos episcopo proponere et instituere; abbates abbatissasque in dignitatis possessionem mittere, atque etiam Decani electionem assensu approbare (3).

Præterea ad eos pertinebat sollicitudo parœciarum, hospitiorum, nosocomiorum, cœnobiorumque intra jurisdictionis fines subjacentium (4).

Porro parœcias invisere quotannis tenebantur, insuper synodali præesse conventui in quo canones

(1) *Hildeberti opera*, epist. l. III, 21.

(2) Vide de varia Archidiaconorum fortuna Adrien Gréa, *Essai historique sur les Archidiacres*, dans la bibliothèque de l'École des Chartes, t. II, p. 39-67-215-247 (3e sér.). Quæ hic disputati sumus ex hac disquisitione excerpta sunt.

(3) V. A. Gréa, *ibid*, p. 216-217-218.

(4) A. Gréa, *ibid.*, p. 216-222-223.

proferebantur (1). Adde hæc quæ ad promovenda studia accommodata videntur.

Igitur de Curatis inquirebant utrum agendi ratio atque doctrina ab Ecclesiæ legibus menteque abhorrerent (2); utrum synodalem libellum non præ manibus tantum, sed et memoriâ tenerent (3); utrum pascerent commissum gregem (4); atque, ut docendo non essent omnino impares, utrum ea præ se haberent scripta, iisque, quantum satis erat, studerent, e quibus genuina et congruens expromeretur doctrina (5). Cultum divinum rite peragendum (6); Ecclesiæ libros summa diligentia asservandos, conferendos inter se codices, atque, ubi res postulabat, emendandos (7); diœcesanas basilicas ductu suo restituendas (8); aliunde, ut pote vices et munus judicum gerentes (9), edictis conciliorum, iisque præcipue quæ insectabantur simoniacam labem et incontinentiam (10), obtemperandum curabant.

Hæc de archidiaconorum jure ac officiis expo-

(1) A. Gréa, *ibid.*, p. 218-219.
(2) *Ibid.*, p. 219-220.
(3) *Ibid.*, p. 219.
(4) *Ibid.*, p. 220.
(5) *Ibid.*, p. 221.
(6) *Ibid.*, p. 220.
(7) *Ibid.*, p. 221.
(8) Ap. Lab., *Conc. coll.*, t. V, p. 1730, d.
(9) V. A. Gréa, *Ub. supr.*, p. 225.
(10) *Ibid.*, p. 225.

nenda duximus, ut quæ fuerint Hildeberti vices, depositâ scholarchiâ, assumpto vero nondum episcopatu, innotesceret. Testatur ipse præfinitum archidiaconi munus per quinque annos exercuisse (1), in quo sane rerum ad Cenomanensem ecclesiam pertinentium multum usum habuit.

His immorati, quæ Beaugendre et historiæ litterariæ franciæ Scriptores prætermiserant, pauca de Hildeberti vita prosequamur.

Anno 1097, mortuo Hoello, Hildebertus communi quidem, at non unanimi cleri populique assensu (2), insuper invito primum, ac postea annuente Helia, Cenomanensi Comite, pontifex electus est (3). Cum verò Comitatum illum sibi vindicaret Guillelmus Rufus, Angliæ rex, ægre tulit Hildebertum, se inconsulto, soloque Heliæ nutu, collatum munus accepisse (4). Inde, pontificatus decursu, adversum regem expertus est Hildebertus.

Anno 1098, exorto Heliam inter et Guillelmum bello, Comes captus est et in custodiam dejectus.

(1) *Hildeberti opera;* epist. l. III, 21, col. 186.

(2) Ex Ivone Carnotensi didicimus Hildebertum Primores ecclesiæ Cenomanensis in electione adversarios expertum esse. *Epist.*, 227.

(3) *Acta Cenomanensium episcoporum*, ap. MABILLON, *Vetera ana.* t. III, p. 303; —ORDER. VITALIS, *Hist. eccl.*, l. IV, ap. *Recueil des hist. des Gaules et de la France*, t. XII, p. 591. c; — *Ibid.*, l. X, p. 671. d. e.

(4) BEAUGENDRE, *Hildeberti vita*, p. XX.

Cujus libertatis impetrandæ causâ, Hildebertus, civium consensu, Cenomanensem urbem anglico regi, tradidit, venientique obviam cum clero processit (1).

Helias, anno 1099, in libertatem vindicatus, urbem ab ipsis civibus traditam, occupavit. Tunc quidam e clericis, Præsuli a principio invidentes, illum, quasi proditionis conscium, apud regem acerrime insimularunt. Quare transfretare jussus est Hildebertus et ad ecclesiæ turres solo æquandas tum minis cum promissis nequicquam sollicitatus (2).

Attamen Cenomanicam in urbem rediit, et, regis obitu paulo post interveniente, ex angustia ereptus videbatur, cum iterum adversa fortuna usus est. Etenim inter ferendum ecclesiæ sacra Rotrodo II, Perticensi Comiti, in turre Cenomanica incluso, ab eo rogatus est ut Novigentum ad matrem, de testamento testimonium perhibiturus, accederet. Quæ cum Hildebertum benigne, porrectoque pacis osculo, excepisset, nihilominus tamen ab Huberto, Comitis dapifero, comprehensum se apud episcopos conqueritur et in carcerem detrusum (3).

(1) V. *Acta Cen., epis.*, ap. Mabillon, t. III, p. 306.—Order. Vitalis, *Hist. eccl.*, l. X.—*Ibid.*, t. XII, p. 674. a.

(2) App. Mabillon, *ibid*, t. III, p. 308.—Cfr *Hildeberti opera*, epist., liv. II, 8, coll. 87-88; — ejusdem *Carmen de exilio suo*, coll. 1344-1349.

(3) Ap. Mabillon, *Vet. an.*, t. III, p. 311-312; — *Hildeberti opera*, epist., liv. II, 17-18, col. 99-103.

Jam antea, ut videtur, cum molestiis quam maxime lacessitus esset, Romam adierat, se pontificatu apud Paschalem II abdicaturus. Tum summa observantia, plurimisque muneribus a Rogerio, Siciliæ comite, exceptus est (1). Inde rediens Lirinensem insulam appulit, quo tempore piratæ, multis delati navibus, monasterium everterunt (2). Cum ipse feliciter evasisset, a proposito pontificatum deponendi, auctore Paschali, quem apud Saviniacum haud multo post offendit, revocatus est.

Igitur Cenomanum reversus, confutandos curavit Henrici cujusdam errores, qui plebem ita sibi illexerat, ut illa clericorum ipsiusque episcopi minime patiens efficeretur. Igitur Hildebertus, fraude ejus et inscitiâ coram omnibus detectis, ab urbe episcopatuque hæreticum ejecit (3).

Anno 1119, Engolismensi Remensique conciliis adfuit (4).

Anno 1120, basilicam (5), quam inchoaverat Hoëllus, consummavit, dieque a Paschate octavâ, multo

(1) Ap. MABILLON, *Veter. anal.*, t. III, p. 309-310.

(2) Hujusce eversionis meminit unus Hildebertus. Memorat igitur monasterium a piratis die Pentecostes occupatum; plurimos monachos gladio percussos cecidisse; paucos admodum, *latibula* et turrim superstites fuisse. HILDEBERTI *opera*, epist., l. III, 7, coll. 174-175.

(3) Ap. MABILLON, *ibid.*, t. III, p. 312-320; HILDEBERTI *opp.*, ep. l. II, 23, coll. 114-119; — 24, coll. 119-120.

(4) ORDER. VITALIS, *Hist. eccl.*, l. XII, ap. *Recueil des hist. des Gaules et de la Fr.*, t. XII, p. 726 a.

(5) Ap. MABILLON, t. III, p. 320 sqq.

populorum concursu et provincialibus episcopis adstantibus, dedicavit.

Anno 1126, Gisleberto, Turonensi archiepiscopo, Romæ obeunte, Ecclesia precibus apud Hildebertum egit ut metropolitanam sedem ascenderet (1).

Statim vero a rege Ludovico qui, jure regaliæ, Turonensis ecclesiæ dignitates indignis contulerat, variis affectus est molestiis Hildebertus (2).

Anno 1127, concilium, eodem episcopo præside, in urbe Nannetica habitum est (3).

Anno 1129, Philippo, regis Franciæ filio, coronando astitit (4).

Anno 1130, vel 1131, in gratiam regis rediit (5).

Quo anno obierit non omnino constat. Legitur enim apud Scriptores rerum Gallicarum et Francicarum (6) : « Anno 1132, non vero 1134, XI Kal. Januarii terris valedixit. » Iterum vero apud eosdem : « Anno 1134, non autem 1132, neque 1136, mortuus est, XV Kal. Januarii (7). »

Hildebertus, ut qui de ecclesia bene meritus, *Venerabilis* titulo insignitus est.

(1) Ap. Mabillon, t. iii, p. 326 ;—Order. Vitalis, *Hist. eccl.*, l. X ; *ibid.*, t. xii, p. 671, e ; l. XII, p. 742 e.

(2) Hildeberti *opera*, epist., l. II, 33, coll. 135-136 ;— epist., l. II, 34, col. 137-138.

(3) *Ibid.*, l. II, 30, coll. 132-133 ; l. II, 31, coll. 133-134.

(4) *Ibid.*, l. II, 40, coll. 145-146.

(5) *Ibid.*, l. II, 46, coll. 154-155.

(6) V. t. xii, p. 290 c. ; —*Ibid.*, p. 671, e.

(7) T. xv, p. 561 n.

PARS SECUNDA.

De V. Hildeberti scriptis.

Etsi Beaugendriana Hildeberti editio cæteris longe sit accuratior et auctior, non omnia tamen quæ composuit Hildebertus, opera complectitur. Nonnulla enim temporum invidia periere, aut imis recondita bibliothecis, imperviaque inquisitoribus jacent. Non possumus non memorare *Decretorum* exceptiones quarum maximam partem expleverat (1), quæque desunt; *Historiam* miraculorum Exoniensis ecclesiæ, quam ipse testatur se, juxta fidem destinati sibi exemplaris, exarasse (2); opusculaque, tam metrico quam soluto pede scripta, quorum literaria Franciæ Historia meminit (3).

(1) Hildeberti *opp.*, epist., l. II, 27, col. 125.
(2) *Ibid.*, epist., l. III, 3, coll. 171-172.
(3) *Hist. littér.*, t. xi, p. 404-412.

E contra vero plurima, ut infra patebit, opuscula Hildeberto male adscribuntur.

Quæ supersunt, quæque genuina, eo quo, apud Beaugendrianam editionem prodeunt, ordine recensenda sunt. Quare de epistolis primum dicendum ; deinde de sermonibus et plurimorum sanctorum vitâ; postea etiam, immutato tamen parumper Beaugendriano ordine, de poematibus; ac demum de iis quæ ad theologiam moralemque philosophiam spectant.

CAPUT I.

DE HILDEBERTI EPISTOLIS.

Hildeberti Epistolæ, ut pote styli elegantia, suavique urbanitate perspicuæ, in scholis ad imitandum proponebantur, adolescentulique eas corde tenus compellebantur reddere (1). Inde duplex exsurrexit dispendium. Cum enim litterarum exempla ex iis potissimum quærerentur, factum est ut, omissis plerumque inscriptionibus et personarum nominibus, mutilas eas et acephalas repræsentent mss.

(1) Petrus Blesensis, epist. 101.

codices, nec proinde omnes ad nos, nec integræ pervenerint (1). Inde etiam accidit ut in promptu non fuerit Epistolas Hildeberti juxta chronologicam seriem ordinare; institutumque a Beaugendre ordinem, necnon inscriptiones, nonnunquam jure ac merito immutaverint rerum Gallicarum et Francicarum, literariæque historiæ Scriptores.

Contendunt igitur utrique :

Lib. I epist. 5 Agneti quidem scriptam, at post annum 1110; tunc enim Agnes, mortuo conjuge, monasterium ingressa est (2);

Epist. 10 non Agneti, uxori comitis Heliæ qui ex ea filios non suscepit, at verisimilius Adelæ, Blesensi comitissæ (3);

Epist. 15 non quidem Fulchoni Richino, ut probant hist. liter. Franc. Scriptores, nec anno 1123, nec etiam Fulchoni juniori, ut iisdem placet (4); at Gaufrido Bello, seu *Plantagenet*, et anno 1131 vel 1132, ut e notis Scriptorum rer. Gallic. et Franc. constare videtur (5);

Lib. II epist. 2, Serlonem, Sagiensem episcopum, non anno 1098, at 1122 obiisse (6);

(1) *Recueil des hist. des Gaules et de la France*, t. xv, p. 313. — Sint in exemplum litteræ ab Hildeberto Ivoni, Carnotensi episcopo, et Gaufrido, Vindocinensi abbati, inscriptæ. *Hist. littér.*, t. xi, p. 308.

(2) *Hist. littér.*, t. xi, p. 282.

(3) *Ibid.*, t. xi, p. 284.

(4) *Ibid.*, p. 285.

(5) *Rec. des hist. des Gaul. et de la France*, t. xv, p. 327.

(6) *Hist. littér.*, t. xi, p. 289.

Epist. 3 non anno 1098, ut Beaugendre videtur, nec 1112, ut hist. liter. Franc. Scriptores autumant (1); at probabilius anno 1103 (2);

Epist. 5 et 6 non anno 1098, at 1101, Raynaldus enim, cui scribuntur anno 1101 ad pontificatum evectus est (3);

Epist. 8; Guillelmum Rufum, non anno 1099 obiisse, at 1100 (4);

Epist. 14, e codice Ebroicensi, archiepiscopo quidem Rotomagensi (5), e cod. vero 2595 biblioth. olim regiæ cuidam designato per litteram S., qua indicari « Serlonem, Sagiensem episcopum, temporis et locorum circumstantiæ persuadent (6); » prætera agi in hac epistola de Guillelmo, comite Moritoniæ (*Mortain* at non *Mortagne*, ut placet Beaugendre), quæ, ex peritissimo rerum medii ævi Delisle (7), tunc juris erat comitum Perticensium; — prædictumque Guillelmum in prælio Tenecherbraicho captum, et perpetuo carceri ab Henrico I. Angliæ rege, traditum;

Epist. 35 non anno 1128, sed 1130, vel 1131, post Baldrici mortem, qui anno 1130 mense januario obiit (8).

(1) *Ibid.*, p. 289.
(2) *Rec. des hist. des Gaul. et de la France*, t. xv, p. 316. Nota.
(3) *Hist. littér.*, t. xi, p. 290.
(4) *Rec. des hist.*, etc., t. xv, p. 315.
(5) Beaugendre, *Hild. opp.*, col. 195. N.
(6) *Rec. des Hist.*, etc., t. xv, p. 317. N.
(7) Nota ad Hildeberti calcem.
(8) *Hist. littér.*, t. xi, p. 297.

Epist. 53 male Hildeberto, ut infra probabitur, adscribi;

Lib. III, epist. 4 non anno 1102, nam nonnisi anno 1119 Calixtus II, cujus meminit hæc epistola, pontifex electus est (1);

Epist. 22 ecclesiastico viro non fuisse scriptam, ex his quæ in ea leguntur: « *in armis audio te Cæsarem, in carmine Virgilium obstupesco.* » Quod præconium ecclesiasticum virum minime indicare videtur (2). Meminerint tamen S. Bernardum tunc queri diaconum, nempe Stephanum de Garlanda, ita sublimatum « honoribus ecclesiasticis, ut nec episcopis inferior videatur, sic vero implicatum militaribus officiis, ut præferatur et ducibus (3). » Aliunde ex ipso Hildeberto liquet non clericos tantum, sed et episcopos, carmina, non quidem virgiliana, scribere. Quare non magni momenti videtur allatum Hist. liter. Fr. argumentum.

Epist. 32, 33, non Hildeberti esse, sed Odonis abbatis, reperirique in Dacheriano spicilegio (4).

Salvis his emendationibus, quas in unum hinc et inde recolligere et proferre, ne quid opusculo deesset, operæ pretium duximus, Beaugendriana Epistolarum Hildeberti editio promptuarium quoddam ad illustrandam hujusce temporis historiam videtur.

(1) *Hist. littér.*, t. XI, p. 303.
(2) *Hist. littér.*, t. XI, p. 306.
(3) S. BERNARDI *oper.*, epist. 78, t. I, col. 84. Edit. Mabillon.
(4) *Spic.*, t. II.

Quæ quidem tribus libris partitæ sunt. Primo libro continentur epistolæ 25 quas morales seu asceticas vocat Beaugendre; — secundo epistolæ 53, in quibus de dogmatibus, de Ecclesiæ disciplina et ritibus agitur; — tertio demum epistolæ 34, quæ indifferentes vel urbanæ dicuntur.

Mihi in animo non est prædictam impugnare partitionem, etsi quando claudicare videtur, nec singulas illas epistolas vicissim notare: jam enim hoc opus absolutum est (1). Placet vero seligere 1° ea in quibus memorantur principes qui, Hildeberto pontifice, imperii regimen tenuere; 2° ea quæ versantur circa res ecclesiasticas et monasticas; 3° ea quæ de optimo vivendi modo proferuntur.

Art. i. — De Cenomanicis rebus et principibus.

Hildebertus in iis incidit temporibus in quibus de Cenomanico comitatu inter Guillelmum Rufum, Angliæ regem, Heliam et Fulchonem Richinum certabatur. Ut autem rite perspiciantur jura quæ illi sibi asserebant, res paulo altius repetenda videtur; ne vero hic longius protrahatur, ea inter appendices rejicienda (2). Sufficiat igitur memorare Guillelmum Rufum et Heliam sibi invicem vindicare jus Cenomanensis episcopatus conferendi. Quare, Hoello obeunte, Helias Goifredum, ecclesiæ deca-

(1) *Hist. littér.*, t. xi, p. 278 sqq.
(2) V. append., n° 1.

num, pontificem designavit; at clericis et populo pro Hildeberto, archidiacono, stantibus, ille, assentiente mox Heliâ, inconsulto vero Angliæ rege, ad episcopalem sedem evectus est (1). Inde iræ Guillelmi in pontificem efferbuerunt.

Ex Hildeberto didicimus quot adversa ipse, Cenomanicaque provincia exinde sustinuerint (2); quæque singula et ordine revocanda sunt. Helias igitur, a suis desertus, in Roberti de Belesma manus, anno 1098, incidit; dein Fulco Richinus, Andegavorum comes, Cenomanicam urbem expugnavit, statimque Gaufredo Martello, filio suo Heliæque genero, commisit tuendam; insuper, eodem anno, Guillelmus, Angliæ rex, infestis armis, circa Colonias [Coulaines], vicum episcopalem, consedit; vicum ipsum, ecclesiam, quæ ibidem erat, omnemque episcopi substantiam concremavit (3).

Cui, pro impetrandâ Heliæ libertate, ex civium, Fulconis Richini, ipsiusque consensu Heliæ, qui Hildebertum ad se vocaverat ut rem citius tractaret, civitas tradita est; in eaque virorum copiæ et armorum præsidia a Guillelmo collocata (4). Tunc

(1) Order. Vitalis, ap. *Rec. des hist., etc.*, t. xii, p. 671. e.

(2) Hildeberti *opp.*, epist. l. II, 8, coll. 87-88.

(3) *Gesta Cen. episc.*, ap. Mabillon, *Veter. ana.*, t. iii, p. 305. « Oderat enim illum pro eo quod contra calumniam illius episcopatum acceperat. » *Ibid.*, p. 306. Cfr. Chronicom S. Albini Andegavensis, ap. *Rec. des hist.*, etc., t. xii, p. 484. e; Ord. Vitalis, l. X, *Ibid.*. p. 672. c, e.

(4) *Gesta Cen. episc.*, *ibid.*, t. iii, p. 306.

Hildebertus, clero plebeque comitantibus, obviam regi processit, qui, plaudentibus universis atque etiam psallentibus, in basilicam S. Gervasii deductus est (1).

Vix autem rex in Angliam redierat, cum Helias, indigenis nitens, populatus est urbis viciniam, traditamque ingressus civitatem retrusit in arcem Guillelmi præsidia. Quæ in subjectas domos jactare ardentes faculas non desierunt; unde tota pene civitas, cum magna suburbiorum parte, igne consumpta est (2). His perturbationibus Hildebertus, neque præsentia, neque consilio interfuisse narratur (3).

Rex, auditis iis, in quibus sui versabantur, angustiis, levitatem Cenomanorum ulturus concrematam pertransiit civitatem, nec procul tentoria figi præcepit. Ex utraque parte agris illata est populatio. Qui Heliæ adhærebant, ii omnia incenderunt, ne quid ad victum et quietem exercitui regis remaneret (4). Ipsi Guillelmi milites, vindictam appetentes, « vineas exstirpaverunt, fructiferas arbores succiderunt, maœrias et parietes dejecerunt, totamque regionem, quæ uberrima erat, igne et ferro desolaverunt (5). »

(1) Ord. Vitalis, l. X, *Ibid.*, p. 674. a.

(2) *Gesta Cen. episc.*, *Ibid.*, t. iii, p. 307.

(3) *Ibid.*, l. II, epist. 8, coll. 88.

(4) Ord. Vitalis, l. X, *Ibid.*, p. 675. e. — « Sic profecto Valles (Vaux) et Ostilliacum (Oustillé) consumpta sunt, aliaque quam plurima oppida et rura pessumdata sunt. » *Ibid.*, p. 676. a.

(5) *Ibid.*, p. 676. d.

Postea rex civitatem ingressus est, militesque suos missos fecit.

Quæ miserrima Hildebertus vidit, et quorum, ut e prædicta patet epistola, pars magna fuit. Siquidem in ea legitur Cenomanensem comitatum, intra triennium, sex sustinuisse consules, nimirum bis Heliam de Flexia; bis etiam Guillelmum, Angliæ regem; Fulconem Richinum, Andegavensem, et Gaufredum Martellum.

Memorantur omnes æque « gladiis et igne curtam sibi vindicasse potestatem. » Ea enim agendi ratio ut tanto gravius dominantes, quanto brevius, plebem in summam inopiam adduxerint, et iisdem clerum affecerint injuriis. Unde etiam quidquid episcopi potestatis erat incendium hausit, æque periclitante et facultate pauperum et sacerdotum reverentia.

Guillelmus ipse narratur in Hildebertum dure admodum sæviisse (1).

Quantam vero animi fortitudinem atque etiam in ecclesiam voluntatem exhibuerit ille, ex iis conjicere fas est quæ tunc a Guillelmo Rufo, ac postea a Rotroco II, necnon Ludovico Crasso, perpessus est.

§ 1. — Igitur maluit pelagi injurias et exsilii sustinere quam ecclesiæ dejicere turres; et, cum nec minis, nec promissis (2) ad id compelli posset, di-

(1) Hildeberti *opera*, epist., l. II, 8 coll. 87-88.

(2) Hildebertum rex, iterum stimulantibus æmulis, de turrium destructione cœpit vehementer urgere; eique ob hanc causam intolerabilem inferre molestiam. Cæterum quo facilem et celerem

reptionem prædiorum subire, atque etiam in carcerem dejici, quam, obstante canonica auctoritate auctoreque Ivone Carnotensi (1), innocentiam candente ferro testari.

Carmen de hoc exsilio scripsit Hildebertus (2), in quo, recensitis quas perdidit opibus, atque inter alia quæ, more Senecano, de instabili fortuna conqueritur, hæc leguntur de Guillelmo :

« Accessit damnis novus ille gravisque tyrannus,
« Quo Cenomanorum consule jus periit.
Cujus avos puduit scelerum genuisse patronum,
« Fortunæque parem mobilitate, dolis.
« Ille pudor patriæ me non impune tuentem
« Justitiæ leges, expulit a patriâ (3). »

Multa alia carmina, parvi quidem momenti, scripsit tunc temporis, ut opinor, de instabilitate fortunæ Hildebertus (4); de Guillelmo vero nihil quod animum injuriarum memorem prodat.

effectum affectus regis obtineret, obtulit Pontifici maximum pondus auri et argenti, unde sepulchrum beati Juliani honorifice fieri potuisset. » *Gesta Cen. episc.*, ap. MABILLON, *Vet. ana*, t. III, p. 308.

(1) « Tu itaque viriliter age; et ne de te aliis præbeas exemplum futuris et præsentibus nociturum. Si enim aliquid contra justitiam pateris, de tribulatione purgaberis et probaberis; deque probatione misericordiam consequeris. » IVO CARNOTENSIS, epist. 44, ap. *Scrip. rer. Gallic. et Franc.*, t. XV, p. 103.

(2) HILDEBERTI *opp.*, coll. 1343-1346.

(3) *Ibid.*, V. 39-44.

(4) *Ibid.*, coll. 1346-1349.

Cæterum haud multo post obiit Guillelmus. Cujus regis, qui S. Anselmum quoque insectabatur, mortem a S. Hugone, Cluniacensi abbate, prædictam narrat Hildebertus (1).

§ 2. — Aliunde, cum ex industriâ Rotroci II et matris ejus in vinculis teneretur, conquestus quidem est se gladio regni non liberari; unde christianos consacerdotesque suos oravit atque precatus est ut, in carcere, sine solatio, non desereretur; in Humbertum, quem « vocat Phariseorum principem, » ultra fortasse quam satis erat invectus est (2); Sagiensem etiam episcopum impulit ut hominem illum « de dapifero comitis factum dapem diaboli, » anathematis gladio *secaret et ita traderet Satanæ filium mortis* (3). At cum audiisset non jejunia tantum solemnesque preces indici, sed et cruces ipsas atque ecclesiæ vasa impignoranda ut redimeretur, statim, ne id fieret, enixe efflagitavit. Vix alia verba reperias quæ apostolicum virum magis redoleant:

« Ad vos ergo conversio mea, charissimi fratres mei, consacerdotes mei, Domini et amici mei. Oro vos orare pro me, curam agere de me, compassione esse juxta me. Nam de re-

(1) *Ibid.*, *Vita S. Hugonis*, col. 920.

(2) *Ibid.*, epist. l. II, 17-18, coll. 99-103.

(3) *Ibid.*, epist. l. II, 18, col. 103 « Hoc autem non dico tanquam mortem peccatoris desiderans, sed ut ostendas peccatori cauteriatam conscientiam suam; sed ut ei cum propheta dices: *arguam te et statuam contra faciem tuam* (Ps. 49, 21). *Ibid.*, col. 103.

demptione nihil ago; semel Christi sanguine redemptus, iterum redimi non requiro. Sanguis ille redemptio mea; sanguis ille pretium meum. Indignum est ut sub pretio redimar, cujus pretium sine pretio est. Præterea infamis est redemptio, qua libertas perit Ecclesiæ, qua servitus comparatur... Ego certe tanti vitam non facio, ut brevem diligam et redemptam. Malo periclitari de ea, quam pro ea communem conculcare libertatem. Prosit Ecclesiæ mea mors, cui dum vivens præfui, non profui. Pontificis est, si non vivere, mori saltem universis. (1) »

Tanti tenax propositi, non est prius in libertatem vindicatus quam, pace inter Ludovicum Crassum et Henricum I inita, Rotrocus ipse e Cenomanensi carcere eductus.

§ 8. — Ea Hildebertum inter et Ludovicum Crassum jurgii causa intercessit. Hildebertus, statim post assumptum Turonensem archiepiscopatum, alium decanum et alium archidiaconum, ab iis quos rex elegerat, propter eorum inscitiam, ecclesiæ suæ episcopali jure providit. Inde a Ludovico litteras accepit quibus injunctum erat *personas*, quibus eas rex dederat, in sedes earumdem dignitatum mittere (2).

Qualis autem fuerit Hildeberti agendi, scribendique ratio annotare succurrit. Igitur regem adiit « frustra preces aliaque permulta afferens, quibus in manifestis etiam injuriis iratam deceret mitescere potestatem. » At rex, flecti nescius, prohibuit pri-

(1) Hildeberti *opera*, epist., l. II, 17, col. 101.

(2) *Ibid.*, ep., l. II, 34, col. 137; — ep. 38, coll. 142-143.

mum ne quidquam Hildebertus de prædictarum reditibus dignitatum præsumeret; mox etiam fructus prædiorum Turonensis ecclesiæ fisco adscripsit (1), et per quatuor annos retinuit (2); quamdam Beati Mauricii *curtem* a præfata abstulit ecclesiæ (3); prædia quoque Hildeberti ita periculis referta sunt ut nec ipse episcopus, nec quivis alius ea ingredi jam auderet (4).

Interea Hildebertus dolebat silere amicos, et illos præcipue quorum suffragio speraverat se in regis gratiam rediturum (5). At, nedum in Ludovicum, ut antea in Humbertum invehatur, profitetur opus esse « apud serenissimum regem exhortatione potius quam increpatione, consilio quam præcepto, doctrina quam virga. His ille conveniendus fuit, his reverenter instruendus. » Quare ipsi in animo non est « aliquem super Christo clamorem deponere, at jactare cogitatum in Deo, in cujus manu corda regum cerea sunt », si forte Ludovici mentem inclinare voluerit (6).

At, quam vehementer tantas inter angustias angeretur, ex eo conjicias quod dissolvi exoptarit (7). Jam antea, post adversa a Guillelmo Rufo illata,

(1) *Ibid.*, ep. l. II. 34, coll. 137-138.
(2) *Ibid.* ep. l. II, 46, col. 155.
(3) *Ibid.*, ep. l. II, 38, col. 143.
(4) *Ibid.*, ep. l. II, 34, col. 138; –ep. 38, col. 143.
(5) *Ibid.*, ep. l. II, 33, col. 136.
(6) *Ibid.*, ep. l. II, 33, col. 136;—ep. 34, col. 138.
(7) *Ibid.*, ep. l. II, 34, col. 138.

Pontificis onus excutere intenderat, ut in sinum Cluniacensis Abbatis, tanquam *reus* ad aram, irrueret: quod Summus Pontifex minime indulsit (1). Postea, inter acerbissimos, quos in carcere ab Humberto patiebatur, cruciatus, diuturniores molestias, nec ipsam mortem horruit (2), ut Ecclesiæ libertatem assereret. At nunc, fractis tum ætate cum morbo viribus (3), atque ideo, ut pote tanto luctamini impar, quamvis in languido corpore mentem gerat libertatis Ecclesiæ vindicem, mortem si res Deo placuerit, efflagitare videtur.

Attamen regi tantum utique profitebatur se obsequium præstare, ut, cum vocatus fuerit ad ejus filium coronandum, statim dimiserit negotium ipsi ab Honorio II impositum; siquidem exinde regem mitigandum sperabat (4).

Ac demum apud Anglorum regem, Henricum I, gratulatur quod, ingenti licet cum gravamine, in Ludovici gratiam redierit; etsi ablata præpositura non aliter potuit Ecclesiæ restitui, « donec certum

(1) *Ibid.*, ep. l. III, 7, col. 175.

(2) *Ibid.*, l. II, 17, p. 101.

(3) « Expectans expectavi misericordiam D. J. C., si quando dignaretur in lecto ægritudinis suum visitare servum... Cæterum, nondum ei placuit, ut omnino manus sua super me requiesceret, quam tamen ingenti misericordia sua tantum retraxit, ut frigus, quod talem comitatur infirmitatem, non sentiam; calor autem et brevis fit, et spem præstat in sanitatem converti. » *Ibid.*, l. II, ep. 46, col. 154-155.

(4) *Ibid.*, l. II, ep. 40, coll. 145-146.

et taxatum obsequium regem benignum exhibuit. » Quod cum Henrici interventu perfectum videretur, grates ei quam maximas gratoque animo persolvit Hildebertus (1).

Hæc sint de principibus quos adversantes expertus est ; postea de iis agatur quibus familiariter usus est. Quorum quæ fuerit indoles, quasve sustinuerint partes, optime ex Hildeberti epistolis patet.

Art. II. — De iis personis quas expertus est benignas et quibus familiariter usus est Hildebertus.

§ 1. — *De Henrico I, Anglorum rege.* — Perperam autumat Beaugendre Henricum I, sub primis imperii annis, Hildeberto adversatum esse (2). Jam enim a principio in gratia esse cum Anglorum rege visus est episcopus (3). Unde multi eo apud Henricum quem serenissimum (4) vocat et clementissimum (5), benefactoremque suum et dominum (6), interprete

(1) *Ibid.*, ep. l. II, 46, col. 155.

(2) Hildeberti *Vita*, p. xxi.

(3) « Candidioris fortunæ sortitus est gratiam, quisquis apud hunc (videlicet Henricum) alicui subvenisse posse prædicatur... Hoc autem posse me plurimi somniant ; hanc in oculis vestris gratiam consecutum fabulantur. » Epist. l. III, 13, col. 178.

(4) Epist. l. II, 42, col. 148 ; — l. III, 13, col. 178 ; — l. II, 46, col. 155.

(5) Epist. l. III, 13, col. 178.

(6) Epist. l. III, 20, col. 184.

utebantur [1]; ipseque Henrico apud alios, videlicet apud Ludovicum Crassum, Francorum regem [2].

Quém quidem ob plurima, quæ juvat recensere, collaudat Hildebertus. Gratulatur igitur Henrico pauperes adjutos; suum rebus ordinem restitutum; suamque Ecclesiæ dignitatem libertatemque; illam quam in emendandis vitiis exhibuit diligentiam [3]. Quæ hisce versibus complectitur Hildebertus:

« Rege sub hoc pax Ecclesiæ, reverentia legi,
« Judicium vitio, gloria rebus erit (4). »

Suæ etiam Henrico laudes in castris inerant:

(1) Epist. l. III, 13, coll. 178-179; — l. III, 20, coll. 184-185.

(2) Epist. l. II, 47, coll. 154-155.

(3) Hæc nota: « Novit reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ Dei Deo... Diem male perditum judicat, in quo pro perditis moribus agere non contingit. » Epist. l. III, 13, col. 178.

(4) Hildeberti *Carmina indifferentia*, col. 1366. Hæc adde de Angliæ mercaturâ situque:

« Anglia, terra ferax, tibi pax diuturna quietem,
Multiplicem luxum merx opulenta dedit.
Tu nimio nec stricta gelu, nec sidere fervens;
Clementi cœlo temperieque places.
Cum pareret natura parens, varioque favore,
Divideret dotes omnibus una locis,
Elegit potiora tibi, matremque professa,
Insula sis locuples, plenaque pacis, ait.
Quidquid luxus amat, quidquid desiderat usus,
Ex te proveniet, aut aliunde tibi.
Te siquidem, licet occiduo sub sole latentem,
Quæret et inveniet merce beata ratis. »

siquidem nunquam defraudasse obsequium præmio et virtutem reverentia nuncupatur (1).

Is revera, sub primis imperii temporibus, fuit Henricus. Tum enim sese ad bonam frugem recipiens, effœminatos mœchasque curia expulit; immunem sicut antea reddidit Ecclesiam; exsulem in patriam revocavit Anselmum; ablata a Guillelmo jura libertatis cuique restituenda, confirmandas etiam Edwardi leges, universis plaudentibus, pollicitus est (2). Minime vero memorat Hildebertus Henricum, mutata haud multo post in deterius mente, promissis vix stetisse; investituras ita sibi vindicasse ut Anselmum ipsum, Paschalemque II adversantes primum expertus fuerit (3). Præterit etiam silentio utriusque fratris, Henrici scilicet et Roberti, dissidia; damna ab Anglorum rege iis illata qui fratris partes sustinuerant (4); nec breviter quidem flebilem illam Roberti patrimonio, re familiari, sociisque exuti, attingit fortunam, quam tunc temporis apud Henricum Calixtus papa conquerebatur (5).

Mirum fortasse videbitur hæc et alia ab Hildeberto omnino prætermissa. Ipse vero, apertis consilio menteque, se in hoc incumbere asserit ut

(1) Epist. l. III, 13, col. 179.

(2) Cfr Lingard, *Hist. d'Angleterre*, t. I, p. 219-220.

(3) Cfr Charma, *S. Anselme*, dans les *Mém. de la société des Antiq. de Norm.*, t. X, p. 146-149 (2e sér.)

(4) Cfr Lingard, *Ubi sup.*, t. I, p. 221-222.

(5) *Ibid.* p. 226.

prodat « quantum liberalitati Henrici sit obnoxius, quantasve beneficiis gratias debeat (1). » Ideo Anglici regis, data occasione, laudes extollit; inde vero accidit ut nonnunquam assentatori proximus efficiatur. Vix crediderim Henricum inter adversa, quæ filiorum morte perpessus est, illam exhibuisse animi fortitudinem, omnino compotem sui, quam gloriose nimis prædicat Hildebertus. Ut quid etiam hæc verba quæ declamatorem de ludo, patrem minime, sapiunt! « Nec enim tunc sapiens, nec rex Henrico extorqueri potuit. Unde alter libertatem mentis, alter statum regni servavit incolumen (2). »

Quidquid id est, Henrici dotes, susceptaque beneficia fidem Hildeberti in tantum obstrinxerunt ut episcopus ille, senio confectus et jamjam morti proximus, regem vero ulterius fortasse non visurus, vix a lacrymis temperaret (3).

Hæc aperte declarant amantissimum et beneficiorum memorem animum Hildeberto inesse.

Ea conferas quibus amico, dum opes vigebant, carissimo, postea vero exsuli, fidem et officia pollicetur (4).

(1) Epist. III, 20, col. 184.

(2) Epist. l. I, 12, coll. 38-39.

(3) Epist. l. III, 20, col. 185. — « Transfretaturum vos audivimus et a nobis longe recessurum. Sed hoc certum habeatis quod aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem qua vos amplectimur, quia Dominum deprecamur ut angelus pacis iter vestrum comitetur.... *Ibid.* Cfr Epist. l. II, 46, col. 155.

(4) « Omnia tecum sustineo, quæ te doleo sustinere.... Si

Liquet insuper ex Hildeberti epistolis, in Paschalis II gratiam conscriptis, eumdem summo Pontifici addictissimum esse.

§ 2. — *De Paschali II et Henrico V.* — Duas Epistolas de iis, quæ Paschali II cum Henrico V, Germanorum imperatore, intercesserunt, scripsit Hildebertus. Quæ ut rite intelligantur, ea revocanda sunt quæ hisce Cenomanensis episcopi scriptis ansam præbuere.

Jam pridem germanici Imperatores Ecclesiæ romanæ, et ipsis orbis regibus præesse, jure quasi divino, contendebant. Quam mentem sic aperit Goifredus Viterbiensis, imperatoris tabellio :

Qui ligat ac solvit Deus, ipsum prætulit orbi (1).

Quod ut assequerentur in Ecclesiâ, investituras pertinaciter sibi vindicabant, atque ideo Henricus IV multa mala summis Pontificibus jam intulerat (2).

Eodem animo, Henricus V Italiam, anno 1111, cum exercitu petiit; civitates et ecclesias, inter eundum, pacemque prolixe pollicendum, subvertit, nec finem impie agendi fecit donec Romam advenit (3).

quid igitur habeo, si quid possum, malo exsuli serviat, quam civi. Exsul enim verum probabis amicum, quem civis forsitan ignorares. » Epist. l. III, 22, coll. 186-187.

(1) Goifredus Viterb., *Chronic.*, part. 17.

(2) V. Rohrbacher, *Hist. univers. de l'Eglise cath.*, t. xiv; Voigt, *Hist. du Pape Grégoire VII* et de son siècle, tr. Jager.

(3) Pandulfus Pisanus, ap. Muratori, t. iii. *Rerum Ital. pars.* I, p. 356. Cfr *Rec. des Hist. de France*, t. xii, p. 7. n.

Quem ut venisse cognovit Papa, missis utrinque nuntiis et obsidibus, statutum est Imperatorem « scripto refutaturum omnem investituram omnium ecclesiarum in manu Pontificis, in conspectu cleri et populi, in die coronationis suæ; Papam vero idem de regalibus facturum (1). »

Igitur præfinita coronationis die, acceptisque concordiæ, ut videbatur, utrinque indiciis, in ecclesia B. Petri consederunt Papa et Imperator, de ecclesiasticis rebus tractaturi. At, inter agendum, et rem, interjectis impedimentis, quæ recensere longum esset (2), protrahendam, Henricus, datæ fidei immemor, investituras iterum sibi asseruit; ortoque in ecclesiæ gradibus tumultu, vulnerati sunt plures aut trucidati, et ipse Pontifex, cum multo numero clericorum et laïcorum, in regiam custodiam conjectus est (3).

Re cognitâ, Romani, ultionis impatientes, in Germanos, qui Romæ aderant, ex improviso irruere, alios neci dare, fugare alios. Tum Imperator propere e B. Petri ecclesia Romaque egressus est, captivum secum ducens Papam, quem Pontificalibus exui infulis et vinculis alligari jussit (4).

(1) Petrus Diaconus, *Chron. Casin.*, l. IV, cap. 36, ap. *Rec. des Historiens*, etc., t. xii, p. 7. n.

(2) Cfr Petrus Diaconus, *ibid.*, l. IV, c. 37, 38, ap. *Rec. des Hist.*, etc., t. xii, p. 8, 9. n.

(3) V. *Gesta Paschalis II papæ*, ap. *Rec. des Hist.*, etc. t. xii, p. 7. b.

(4) *Ibid.*, p. 7. c. Cfr Rohrbacher, *Hist. univers. de l'Eglise cath.*, t. xv, p. 44-51.

Eo res venerat cum Hildebertus priorem scripsit Epistolam in qua Pontificem summo studio, summaque colit observantia, ut cuique patet ex his quæ mentem ejus, et nefandam Henrici agendi rationem optime denunciant :

« In lacrymis effluant eorum oculi, quos dolore capitis caritas vulneravit..... Ecce Martyrum purpura senescentem rursus ornat ecclesiam, et rediviva perfidæ crudelitatis insania pereuntis mundi reliquias filiorum Dei pretiosa morte consummat.... Datur in prædam civitas Romnorum, et apostolici Sedes fastigii cruentis Saxonum direptionibus profanatur. Adducitur Papa captivus, et iniquorum pedibus Pontificalis infula conculcatur. Desolata mœret Cathedra Sanctitatis, et cui omnes tribus et linguæ servierant, Roma redigitur sub tributo. Polluerunt ecclesiam Dei canes immundi, et Germanorum cruda barbaries divinæ legis jugulat filios, et captivat ministros..... Non ergo sine periculo christianæ religionis id obvenisse crediderim, ut Rector pariter et Magister Ecclesiæ ligaretur. Fortiorem hostis percussit ut postmodum ei facilior de subjectis esset triumphus. Præcisum est caput nostrum, et membra cætera non arescunt? Dux exercitus Christi ligatur, et miles imperterritus sustinebit? Jesu bone, ubi est promissionis tuæ veritas, si cum Ecclesia tua non permanseris in æternum? Aut quid prodest oratio tua, si fides Petri deficiat? Confirma fidem ecclesiæ pro qua rogasti. Mane nobiscum (1). »

Quibus hæc adjicias quæ Henricum insimulant duobus alligari flagitiis, qualia nec in gentibus sunt audita. Siquidem nemo præter eum invenitur qui patrem inhonoratum prius et in captivitatem adductum, deinceps expulerit fraudulenter, et in

(1) Hildeberti *opera;* ep. l. II, 21.

Deum postmodum insurgens patremque spiritualem, Petri Vicarium, e sede in vincula dejecerit:

« Felix vero Papa Paschalis, et omni devotione diligendus, qui sic apostolicam sedem rexit, ut et apostolicæ passionis imitator esse mereretur! Felix vinctus Jesu Christi....! Non est hujus capitis membrum; non est hujus Patris filius; non est hujus Prælati subditus, qui non sentit, qui non condolet, qui insultat (1). »

Interea Henricus romana arva depopulabatur, Papamque, et cæteros in captivitatem adductos, ommimodo vexabat; mortem etiam, vel saltem membrorum abscissionem, omnibus minatus est ut animos, quo vellet, flecteret. Paschalis vero vitæ discrimen adire quam investituris episcopatuum et abbatiarum consentire maluit (2). Quare spe dejectus Henricus, aliamque tentans viam, pollicitus est se captivos in libertatem vindicaturum, modo sibi ipsi concederentur investituræ, non eo quidem pacto ut ecclesias et officia quælibet, sed sola conferret regalia.

Si quis autem voluerit intelligere in quantas men-

(1) *Ibid.*, ep. l. II, 21, coll. 108-109.

(2) Cfr Charma, *S. Anselme, Appendice*, dans les *Mém. des Antiq. de Normandie*, t. 10 (2ᵉ sér.), p. 146-149. Ad Anselmum, de iis quæ in Anglia agebantur, scribebat Paschalis II: « .... Alienum est ab Ecclesia et sacris canonibus est inhibitum, ne principes et sæculares viri investituras non solum non dare, sed nec electioni episcoporum se audeant violenter inserere. » — Epist., l. III, epist. 64. Ap. Charma, *ubi supr.*, p. 164.

tis augustias Paschalis tunc devenerit, hæc perpendat quæ notant rei scriptores :

« Hoc (propositum) profecto per principes suos, hoc per clericos, hoc per laïcos, hoc per cives romanos sollicitus satagebat Henricus.... Proponebantur Pontifici captivorum calamitates, qui, amissis liberis et uxoribus, domo et patriâ exsules, durioribus compedibus arctabantur; proponebatur Ecclesiæ romanæ desolatio, quæ pene omnes cardinales amiserat; proponebatur gravissimum schismatis periculum, quod pene universæ Romanorum Ecclesiæ imminebat. Victus tandem miseriis filiorum, laborans gravibus suspiriis atque gemitibus, et in lacrymis totus effusus : *Cogor, ait, pro Ecclesiæ liberatione ac pace hoc permittere, quod pro vita mea nulla tenus consentirem* (1).

Quam agendi rationem cum plurimi impugnarent, atque in unum coacti decretum adversus Papam edixissent (2), Hildebertus in Paschalis gratiam posteriorem scripsit epistolam. In ea multa sunt quæ Scriptores liter. hist. Franc. perperam interpretari videntur (3).

(1) Ap. MURATORI, *Rer. Ital.*, t. III, parte I, p. 362. Cfr *Rec. des Hist.*, etc., t. XII, p. 9. n.

(2) V. ROHRBACHER, *Hist. univers. de l'Eglise cath.*, t. XV, p. 53 sqq.

(3) « Quoique Beaugendre nous donne cette lettre comme une apologie du pape Pascal, il est certain qu'il y a plusieurs traits, par lesquels il fait entrevoir que sa conduite *pouvait* être blâmée. Après avoir fait l'éloge de la pièce de son ami, dans laquelle Pascal est comblé de louanges, il ajoute que, « comme le monde est malin, il se trouvera des gens qui ne manqueront pas de trouver à redire à ces grands éloges. Quoi, diront-ils, vous élevez jusqu'au ciel le courage de celui qui a

Extollit quidem a principio Hildebertus amici cujusdam opus, in quo de Paschali multa gloriose prædicabantur. At, nedum aliquid de his laudibus delibare intendat, profitetur iterum et ipse felicem esse Paschalem, qui gradus ac nominis sui ita sustinuit sanctitatem, ut quod et nominis ratio designaret, et ex officii canone mandaretur, usque ad sanguinem et docere et facere non dubitaverit. Addit Paschalem illum esse athletam fortem et ducem optimum quem Christus Ecclesiæ providit (1).

Tunc ea attingit quæ memorant hist. liter. franc. Scriptores, quæque Paschali reipsa objiciebantur, quorum vero auctor atque inventor minime haberi potest Hildebertus. Ea igitur attingit, non quasi labem Papæ illaturus, at profecto animo refellendi. Quod nimirum patet ex ipsis verbis quibus refertur epistola. Positis enim hisce objurgationibus, hoc modo prosequitur : « Nos, qui nos filios ejus profitemur, ... in adjutorium ejus festinemus assurgere. Et tanquam Herculi clavam de manibus (adversantium) extorquentes, assertionibus suis inimicos justitiæ retundamus, ut propriis scilicet machinamentis elisi, gravius confundantur, et reverentius erubescant (2)..... » Probat igitur Papam

rendu les armes avant le combat, qui, ne pouvant soutenir le premier choc, a pris lâchement la fuite?.... » N'est-il pas visible qu'Hildebert, ne voulant pas, par ménagement, *prendre* sur son compte l'objection qu'il fait ici contre Pascal, suppose que d'autres *pourront* la faire? T. xi, p. 294.

(1) *Ibid.*, ep. l. II, 22, col. 110.

(2) *Ibid.*, ep. l. II, 22, col. 110.

Paschalem sese pro jure, pro patria, pro testamento sanctorum, pro republica Jesu Christi, manibus offerentem impiorum, nihil sanctius ac melius, nihil proximo utilius et honestius tentare vel potuisse, vel etiam debuisse. Quis unquam ignavum dixerit Tribunum qui ita se primum conjecit in vincula et pro milite postmodum obtulit feriendum? Equidem Hildebertum minime latet Papam injuriæ postea cessisse videri; ideo vero fugienti similis visus est, ut a sanctorum et civium strage gladium revocaret; ideo etiam his, quæ rogabantur, ad horam accessit, ut urbis muros restituere posset. In quo nemo est qui Ducis prudentiam et cautelam mirari certe non debeat. Ita narratur David, fortissimus ille et peritissimus præliator, filii rabiem fugisse, ne civium sanguine mœnia urbis polluerentur; postea vero, congregatis Israël fortibus, Absalonem atque adhærentes fugasse.

Illud quoque Paschali laudi tribuit Hildebertus Pontificatus onus deposuisse, et cleri plebisque judicio ita se commisisse ut ex eorum sententiâ omnino penderet; in Cathedram vero populi efflagitatu et cardinalium lacrymis revocatum, apostolici Culminis vices iterum sustinere, exercereque.

Hæc summa Hildeberti epistolæ in qua incitata oratio, sententiæ præclaræ, intemeratumque episcopi in Papam studium, æque miranda videntur.

§ 2. — *De Mathilde, Henrici I uxore.* — Intererat Hildeberto cum Mathilde, Henrici I uxore, neces-

situdo quædam, ex qua facile patet quanti se invicem facerent. Ut prætercam ea quæ de ejus progenie sic cecinit Hildebertus :

> Filia præteriti, præsentis nupta, futuri
> Mater Regis, habes hoc speciale tibi.
> Aut vix, aut nunquam reperitur fœmina quæ sit
> Hæc eadem Regum filia, nupta, parens (1).
> . . . .
> Unum patris erat ; sunt duo regna tibi.
> Angli Reginam venerantur, te Comitissam
> Normannorum plebs ; utraque gens dominam (2).

Eximias animi dotes, quibus studium et benevolentiam utriusque gentis sibi conciliavit, summis extollit laudibus. Jam, antequam Henrico I nuberet Mathildis, præclara ejus opinio melior in dies innotescebat. Quare, inter monendum vitam prudenti consilio, suas illi cum Anglorum rege nuptias gratulatur (3). Hæc etiam inter alia de ea vaticinari videtur Hildebertus :

> ... Sociam dispono thori cui præparo quidquid
> Agnoscit virtus in muliere suum.
> . . . .

(1) Norunt omnes Mathildem esse Malcolmi, Scotorum regis, filiam, sororem Edgari, Alexandri et David, ejusdem Scotiæ regum, Henrici I uxorem, matrem Guillelmi et Ricardi qui anno 1120, miserando ante Barbaflutum (HILDEBERTI *opera*; epist., l. I, 12 coll. 38 sqq.) naufragio periere.

(2) HILDEBERTI *opera;* Carmin. indiffer., col. 1367.

(3) Epist. l. I, 7, col. 16 sqq.

. . . .

Hæc ea nascetur quæ vivat et instet honesto;
Pauca viro pariet, pignora multa Deo (1).

Cui ita innatam esse profitetur, non suggestam, voluntatem largiendi, ut discrete semper et provide beneficia collocaret, et tribuentis affectum æque ac muneris gloriam in ea mirarentur (2). Memorant anglicarum rerum Scriptores miram ejus in pauperes et heroïcam in leprosos caritatem (3). Cui ut instaret, illa Hildeberti monita, de quibus infra dicetur, non parum videntur profuisse (4). Insuper Mathildis valetudinem et legum observantiæ et Ecclesiæ felicitati esse perutilem asserebat Hildebertus (5); atque ideo, mari et terra dissitum ad altare Domini comitabatur episcopum Reginæ memoria, « timentem ne sibi ipsi cederet ad judicium, si eo interventu Mathildem defraudaret,

(1) HILDEBERTI *opera;* Carmin indiffer., coll. 1366-1367.

(2) Epist. l. I, 9, col. 24.

(3) Cfr. ETHELREDUS, ab. Rievall., *Genealogia regum Angliæ,* p. 368. Ap. BEAUGENDRE, notæ ad Hildeberti epist. VII, coll. 15.-16.

(4) BEAUGENDRE, *ibid.,* col. 16.

(5) HILDEBERTI, *opera.;* epist, l. III, 11, col. 177. « Pendant les douze dernières années de sa vie, Mathilde, dit Lingard, résida à Westminster, privée de la société de son mari, mais entourée de tout l'appareil de la royauté et devenue l'objet de la vénération du peuple, qui ne la désignait généralement que sous le nom de Molde la Bonne. La pureté de son caractère était au-dessus de tout soupçon : des actes de bienfaisance, des

quem beneficiis comparaverat (1). » Qua mortua (1128), Hildebertus episcopo cuidam, ut putatur, anglico, hæc scripsit : « Oratis quidem orari pro ea, sed credimus eam plus posse suis nos adjuvare, quam egere nostris precibus adjuvari. Fateamur enim necesse est eam decessisse Reginam, cui nihil ex opulentioribus deliciis, nihil ex potestatis licentia, nihil ex lenocinio sexus, ad honestatis periculum subrepsit. In ea præter virtutem, nihil virtus invenit. Quem vitæ modum, licet interventu post mortem non egere noverimus, vestram tamen præcessimus exhortationem veriti judicium, nisi orationum sedulitatem, quam a nobis Regina promeruit, spontanei potius, quam rogati solveremus (2). »

Aliunde summam Mathildis erga Hildebertum voluntatem, summamque observantiam non tam ex iis quæ illi contulit muneribus (3), colligere fas est, quam ex eo quod episcopum illum, quasi magistrum animi regendi, moderandique, habuisse videatur (4).

§ 4. — *De Adela, Blesensi comitissa.* — Inter mulieres

exercices de dévotion occupaient son temps; écouter les chants des ménestrels et les vers des poètes formait son principal amusement. On ne l'accuse que d'un seul défaut : elle était plus libérale que ne le permettaient ses moyens (*Hist. d'Angl.*, t. I, p. 229). — Dicitur etiam animum Henrici regis S. Anselmo reconciliasse. *Ibid.*, p. 224.

(1) Hildeberti, epist., l. III, 12 coll. 177-178.

(2) *Ibid.*, l. II, ep. 27, col. 124.

(3) *Ibid.*, epist. l. I, 9, col. 24.

(4) *Ibid.*, epist. l. I, 7, coll. 16-18; — ep. 9, coll. 24-26.

quæ tunc, ex Hildeberto, omnium virtutum laude viguerunt, non possum quin etiam memorem Adelam, Henrici sororem Blesensemque comitissam. Quam testatur Ordericus Vitalis sagacem fuisse et animosam (1). Etenim, marito ad sacrum bellum profecto, Blesensem comitatum in se suscepit regendum et prudenter administravit (2). Quod munus, post mariti obitum et filiis adhuc inter ephebos agentibus, eadem animi strenuitate, iterum sustinuit (3). Siquidem eas dotes cumulabat quæ ad regni gubernacula requiruntur, « quibus etiam sexui esset ad gloriam (4), potestatem temperaret, virum sibi et populos conciliaret (5). » Postea, adultis filiis, sanctimonialis habitum et conversationem, tempore Petri, Cluniacensis abbatis, anno 1122, Marcimaci assumpsit (6); atque, « ad instar, abjectioris ancillulæ, » cæteris filiabus Christi, quæ cum ea Deo serviebant, et providebat quod neces-

(1) *Hist. eccl.*, l. X, ap. *Rec. des Hist.*, t. XII, p. 684. d.

(2) Hildeberti *opera ;* epist. l. I, 3, col. 5 ; — l. III, ep. 8, coll. 175-176.

(3) Cfr. Willelmi Gemeticensis, *Historia*, ap. *Rec. des Histor.*, etc., t. XII, p. 584. c.

(4) « Tota super fœminam et exemplum virtutis es, et instrumentum. » Hildeberti *opera;* epist. l. III, 8, col. 175.

(5) « Defers fœminæ, dum colis in pulchritudine castitatem; comitissam reprimis, dum servas in potestate clementiam. Illa tibi virum conciliat, hæc populum. Inde nomen acquiris, hinc favorem. » *Ibid.*, epist. l. I, 3 col. 5.

(6) Cfr Willelmi Gemeticensis, *Historia, ubi supr.*, p. 584. c.

sarium, et officiosissime famulabatur (1).

Vix crediderim epitaphium quod diviti cuidam comitissæ inscribitur, ad Adelam a Beaugendre merito referri. Dum enim Hildebertus prædicat in eo mentem humilem, sermonem blandum, benignam manum (2), et fœmineas hujusce comitissæ dotes (quæ quidem Adelæ apte congruunt), tacet omnino miram ejus in regendis populis prudentiam et vitam inter moniales piam (3).

§ 5. — *De Adela Henrici I uxore.* — Adelam alteram, Gofridi, Lovaniensis ducis, filiam (4), Henrico I, Anglorum regi, post Mathildis obitum, nuptam, partu sed infœcundam, collaudat Hildebertus substantiam pauperibus largiri (5). — Quam, uti petierat, inter consortes et filias Cenomanensis ecclesiæ, orationum participem futuram, ascripsit. Ideo paginam, qua hoc denuntiaretur, reginæ deferendam curavit; idipsum etiam regi concessisse asserit (6).

(1) Hildeberti *opera:* epist. l. I, 4, col. 7; — ep. 6, col. 1.

(2) Hanc in medium, ut pote multa exprimentem, liceat Hildeberti Epistolam proferre: « Attritæ frontis est egestas; nihil pudet, dummodo juvet..... Ignosces igitur si quid, ea urgente, supra meritum postulabo. Doces me sperare majora meritis, quæ meritis majora largiri non *destitis.* Si quæris quid, aut qua fiducia postulem: Planeta indigeo. Eam mihi promisisti. Sicut arbitror, non deseres promissum, quæ etiam non promissa festinas erogare. Epist. l. III, 2, col. 170.

(3) Hildeberti *opera; Carmin. Miscell.*, col. 1322.

(4) Cfr Lingard, *Ubi sup.*, t. I, p. 230.

(5) Hildeberti *opera;* epist. l. I, 18, col. 58.

(6) *Ibid., Epist.* l. I, 14, coll. 45-48.

Qua ex re patet pia consociationum antiquitas.

§ 6. — *De Willelmo de Campellis.* — Huic vitio vertitur morum venustatem ex acquisita philosophorum scientia non statim deprompsisse ; at illi gratulatur quod, institoriis lectionibus abdicatis, atque omissis ecclesiasticis dignitatibus, in capellam S. Victoris secessit, ut totum se intra virtutis fines colligeret (1). Quo in proposito plurimæ Willelmo, ut ex Hildeberti verbis conjicere fas est, molestiæ occurrerunt (2), nec defuerunt qui eum ad priorem vivendi modum urgerent (3).

§ 7. — *De SS. Anselmo et Bernardo.* — Tanta erat S. Anselmi in Hildebertum voluntas, tantaque observantia ut nullum se episcopo Cenomanensi devinctiorem esse præsumeret. Quare opusculum quoddam, a se nuperrime conscriptum, Hildeberto misit (4). — Aliunde S. Bernardus apud eumdem episcopum, quem *magnam Ecclesiæ columnam* prædicabat, majorem in modum amiceque egit ut Innocentii II partes contra Anacletum suffragio susciperet (5). — Quanta undique laude vigeret Hildebertus ex hoc iterum colligas quod a summo Pontifice, monialibus ipsis efflagitantibus, monasterii Fontis-Ebraldi patronus jam ab initio institutus fuerit. Quod onus multo monialium emolumento tum

(1) Ap. Hildeberti *opera ;* epist. l. I, 1, coll. 1-3.
(2) *Ibid.*, epist. l. I, 8, col. 19.
(3) *Ibid.*, epist. l. I, 8, col. 22.
(4) *Ibid.*, epist. l. II, 11, coll. 91-92.
(5) *Ibid.*, epist. l. II, 44, coll. 150-152.

apud Honorium II cum apud Henricum I exsecutus est (1).

§ 8. — Præter ea quæ mox disputata sunt, hæc etiam ex his epistolis concludere est :

1° Peregrinationes sacras ad Christi sepulchrum (2) aut ad S. Jacobum, jam tunc percelebrem (3), non raro susceptas fuisse ; tanta vero peregrinis imminere pericula (4), ut ipsi episcopi, ad concilia profecturi, conductum a principibus petere cogerentur (5) ;

2° Mulieres, olim in ipsa aula deliciis affluentes, monialem vitam tunc sæpe sæpius ingressas (6) ;

3° Ab Hildeberto, cum apud multos gratia florere videretur, commendatitias litteras, quæ in latorum utilitatem verterent, non raro efflagitatas (7).

Ipse multa de his quæ hic et illic gerebantur rogitare consueverat. Hæc ad Mathildem, Henrici I

(1) HILDEBERTI *opera*; epist. l. II, 42, coll. 148-149 ; — l. III, 20, coll. 185-186.

(2) *Ibid.*, epist. l. I, 5, coll. 10-11.

(3) *Ibid.*, epist. l. I, 15, coll. 48-50.

(4) *Ibid.*, epist. l. III, 4, col. 173 ; — l. III, 7, col. 174 ; — l. III, 10, coll. 176-177. Cfr CHARMA, *Notice biographique, littéraire et philosophique sur* Lanfranc, 2e part., n. 18, p. 113.

(5) *Ibid.*, epist. l. III, 8, col. 175.

(6) *Ibid.* l. I, 4, coll. 7-9; — l. I, 6, coll. 11-16; — 10, coll. 26-32 ; — 13, coll. 44-45 ; — 21, coll. 62-65.

(7) *Ibid.*, epist. l. II, 3, coll. 80-81 ; — 12, coll. 92-93 ; — 39, coll. 144-145 ; — l. III, 1, col. 169 ; — 7, col. 175 ; — 9, col. 176 ; — 13, col. 178 ; — 18, col. 183; — 23, col. 187 ; — 24, col, 188.

filiam, scribit : « quæ tam de rege, quam de vobis, amico significanda noveritis, mihi precor aperiri (1). » — Epistolas, aut frequentiores, aut prolixiores, ut pote gratissimas, a S. Anselmo petit (2). — Amicum rogat ut eorum quæ apostolicæ, quas recepit, continent litteræ, ipse particeps fiat (3). — Hæc ad Reginoldum, D. Augustini monachum : « Ut augeatur quotidie amicitia, scriptis frequentioribus colloquamur. Interjecta maria caritatis officium non impediant ; quod terrarum spatio aliquandiu delatum, manus amica gratius accipiet... Scribe scripturo ad te (4). »

Ex altera vero parte, tantam sibi famam conciliaverat, ut ab eo morum præcepta undique expeterentur, acceptaque summo obsequio plerique prosequerentur. Mirum vero prorsus quantum saperet in rerum officiorumque æstimatione. Quare operæ pretium videtur Hildeberti epistolas, quas morales vocat Beaugendre, explorare præceptaque morum in unum colligere.

Art. III. — De morum præceptis.

Rectissimam illam Hildeberti sententiam tene :

(1) Hildeberti *opera*, epist. l. III, 14, col. 179.
(2) *Ibid.*, epist. l. III, 6, coll. 173-174.
(3) *Ibid.*, epist. l. III, 4, col. 173.
(4) *Ibid.*, l. III, 15, coll. 180-181 ; — cfr l. III, 27, col. 190.

ut quibuslibet operibus bonis (1) et ipsi voto (2), ea anteponas officia quæ sint status cujusque propria; quæ, si deseris, ut te tradas aliis, peccas.

Quare Andegavensem comitem a longinqua, quam voverat, ad S. Jacobum peregrinatione abducit Hildebertus. Incumbunt enim comiti officia quæ inter peregrinandum minime impleri possunt (3). — Illustri viduæ gratulatur quod, omisso peregrinationis ad sepulchrum Domini consilio, omnibusque abdicatis, « Christum sepultum in monasterio, quam Christi sepulchrum sequi » maluit (4).

His positis, hanc vitæ legem, quæ christianum regem profecto decet, supradicto comiti præscribit: ut scilicet seipsum legibus, amore subjectos regat; ut, posthabita personarum acceptione, juris æquabilitatem omnino exerceat; ut insontes minime patiatur impune lædi, ipse impune læsus, iniquitatis vero ultor acerrimus; ut doleat quoties lex sanguinem effundendum judicaverit; ut in primis pauperibus adesse meminerit et ecclesiis; ut illos

(1) HILDEBERTI *opera*, epist. l. I, 15, col. 48.

(2) « Fortassis autem dicis, votum vovi domino. Agnosce, o Princeps, quia tu quidem te alligasti voto, sed Deus te officio; tu viæ, sed Deus obedientiæ. » *Ibid.*, l. I, 15, col. 49.

(3) « Circuire vero vagum orbem terrarum nullus doctor, nulla omnino scriptura commemorat. » *Ibid.*, l. I, 15, col. 48.

(4) « Admonemur enim, ut efficiamur christi discipuli, bajulare ejus crucem, non quærere sepulturam. » *Ibid.*, l. I, 5, col. 10.

arceat ministros qui erga eosdem pauperes et sanctuarium Dei, quidquid libet, agunt; ac demum ut reipublicæ vivat, noctes illi præstans et dies. His operam det, reipublicæ curam peregrinatione longe præstantiorem reputans (1).

Populos ab injuriâ cujusque potentis utique defendendi studiosus, amico, sed improbo aulico, opum imperiique intemperantiorem usum quam gravissime increpat : « Quidquid moribus, quidquid honesto, quidquid sacris obviat institutis, ita tibi familiare est, ut te puniendum censeas, quoties punienda non committis (2). »

Quem tamen ideo insequitur Hildebertus ut ad meliora redeat, regnumque remissius procuret et æquius.

Adelæ, Blesensi comitissæ, de qua supra diximus, nonnullas de clementia mittit sententias ex Senecæ operibus excerptas quibus illa uteretur, docetque clementiam maxime decere potentes, qui « jure parentum, vel vi, vel electionis beneficio cæteris principantur (3). »

Iterum Hildeberti in pauperes studium cernitur in eo quod hortatur Adelam, Henrici I uxorem, et liberis carentem, de pauperibus sibi heredibus

(1) Hildeberti *opera*, l. I, 15, coll. 48-50.

(2) *Ibid.*, epist., l. I, 16, coll. 50-53. Hæc epistola directa videtur Stephano de Garlanda. De quo vide S. Bernardi epist. 78, coll. 81-82. Edit. Mabillon. Cfr P. Clément, *Notice sur Suger*, dans le *Moniteur* du 17 décembre 1853.

(3) *Ibid.*, epist. l. I, 3, col. 5.

faciendis (1). Hæc de divitiis interserit quæ notanda nimirum videntur.

Igitur cum sublevandis pauperibus inserviunt divitiæ, nedum ex se ipsis culpandæ sint (2), multum habenti eas, et in usus bonos convertenti, conferunt.

Inde hæc ad Adelam scribit Hildebertus : « Habes quasi quoddam pignus gratiæ Dei cui desuper datum est abundare divitiis.... In hoc ad currendum feliciter bonum sortita es apparatum. Divitiis enim viam tibi sternis ad vitam (3). » Aliunde quis non viderit ea, quæ de pauperum interventu apud supremum Judicem disserit Hildebertus, multam vim habere ad animos operibus misericordiæ inclinandos (4) ? Ipse narratur pauperes et peregrinos mensæ suæ participes semper effecisse (5).

Quas ad vitam publicam monitis informabat mulieres, eas edocebat amplecti, servareque in molestiis fortitudinem, in secundis temperantiam, in recte gestis humilitatem.

Jam vero mulieres illæ, olim copia rerum afflu-

(1) Hildeberti *opera* ; 14, coll. 45-48 ; — 18, coll. 58-59.
(2) *Ibid.*, Ser. 27, col. 349 ; — Ser. 28, col. 355.
(3) *Ibid.*, epist., l. I, 14, col. 46. Cfr l. I, 16, col. 51.
(4) *Ibid.*, epist., l. I, 14, coll. 46-47.
(5) *Acta Cen. episc.*, ap. Mabillon, *Veter. ana.*, t. III, p. 304. « Quibus omni sabbato, humillimo nostri Salvatoris exemplo, ad vesperam pedes lavare consueverat, magnopere satagens ne bonum ejus propositum, in quantum fieri poterat, cuiquam fieret manifestum. *(Ibid.)*

entes, constipatæque obsequentum cuneis (1), assumpta moniali regula, duriori vitæ generi ægre admodum a principio assuescebant. Etenim non-nisi perdifficiliter et paulatim eradenda erat deliciarum consuetudo, rejicienda obsequiorum sedulitas, dediscenda festivi cultus, odores peregrini, cæteraque omnia quæ lenocinio sexus, aut licentia potestatis, aut generis, vel cognationis præstantia accesserant (2); cavendum etiam continuo a carne et muliere quas Hildebertus cumulatam vocat infirmitatem (3). Quare, cum præteritarum recordatio et quasi prurigo voluptatum (4) eas exagitarent, ad Hildebertum monitis juvandæ confugiebant. Tum ille, commissarum animi angustiarum misertus, ea afferebat consilia quæ virum sapiunt molestias utriusque vitæ publicæ et monasticæ, fœmineumque ingenium optime callentem. Quare, etsi quid primum vitiis mulierum dare et indulgere videbatur, nihilominus tamen id efficiebatur ut eas ad summun virtutis gradum attolleret (5).

Plurima etiam laudanda, nonnulla vero a proposito aliena, reperias in illa consolatoria, quam ad Henricum I de lugendo filiorum naufragio

(1) Hildeberti *opera*, epist., l. I, 4, coll. 7-9.
(2) *Ibid.*, epist, l. I, 10, coll. 28-29.
(3) *Ibid.*, epist., l. I, 13, coll. 44-45.
(4) *Ibid.*, epist., l. I, 6, coll. 13-14.
(5) *Ibid.*, epist., l. I, 4, coll. 7-9; — 5, coll. 10-11; — 6, coll. 11-15; — 10, coll. 26-32; — 13, coll. 44-45; — 19, coll. 59-60.

scripsit, epistola. Etenim, si rem philosophice spectaveris, haud incongrue quidem illum, Senecano more, effinxit sapientem, qui in secundis animum moderari debet; in adversis minime dejici; ratione vero regi, quæ in humanis actibus principatum obtinet, quaque bona, quorum alia fluxa, alia mansura, ex veritate æstimare docemur; idem de originali peccato eo disserit modo qui theologiam omnino sapit (1). Verum hæc, ut illa Virgilii usurpem,

Exigua ingentis solatia luctus (2).

Jam satis diximus de iis morum regulis quas principibus præscripsit Hildebertus.

Ea reperias apud ejusdem Sermones quæ ad uniuscujusque mores informandos pertinent.

Art. iv. — De ecclesiasticis et monasticis rebus.

§ 1. — Ea tempestate, Cenomanensis ecclesia multoties perturbata fuit et commota. Erant in ea clerici novarum molitores rerum discordiæque peste laborantes (3), qui episcopum ipsum, ut par erat, minime verebantur.

(1) Hildeberti *opera*, epist., l. I, 12, coll. 38-44.
(2) *Æneid.* xi, 62.
(3) Hildeberti *opera*, epist., l. III, 34, coll. 198-199.

Jam antea Hoellus, injuriis exagitatus, ad anglicum regem confugerat, nec multo post a sede iterum secesserat (1). Præterea eo clerici illi venerant audaciæ ut sacrosancta mysteria, pro culpis interdicta, temerare, omnibus invitis, non dubitarent (2).

Haud aliter Hildebertum insectati sunt. Qui, cum a principio promotioni ejus invidissent, in eum anglici regis odium concitaverunt (3). Quare Honorio II scribit Hildebertus se, propter reverentiam quam Romanæ sedi profitetur, adversariis in derisum fieri (4).

Mortuo quodam eccl. Cenom. canonico, pars capituli, seditione concitata atque posthabitis omnino canonibus, corpus occupavit quod in cæmeterio S. Vincentii sepeliri debebat (5); dein minas omnibus intendit qui præfatum corpus, humo minime consecratæ mandatum, abriperent. Quare, cum episcopus prohibere non posset quominus id ageretur, rem ad summum Pontificem detulit (6).

Grave etiam in eccl. Turonensi, sub primis Hildeberti archiepiscopi temporibus, exortum est dissidium. Cum enim hujusce eccl. decanus quibus-

(1) *Act. Cen. Episc.*, ap. Mabillon, *Veter ana.*, t. iii, p. 294.

(2) *Ibid.*, ap. Mabillon, t. iii, p. 295.

(3) *Ibid.*, p. 308.

(4) Hildeberti *oper.*, epist., l. II, 47, coll. 155-156.

(5) Ex canonibus enim corpus cujusque ad hanc deferendum erat ecclesiam cui vivens famulabatur. Cfr. *Conc. Œnhamensis*, c. XI, ap. Labb., t. ix, p. 789.

(6) Hildeberti *oper.*, epist., l. III, 34, coll. 198-200.

dam canonicis, propter improbandam agendi rationem, ecclesiasticam notam irrogasset, inde exarserunt lites et odia. Unus e canonicis, Nicolaus nomine, a quodam decani fratre membra abscissus est (1). Ipse decanus, cum summum adiret Pontificem, ut crimen dilueret, trucidatus obiit.

Quæ quidem tantam ecclesiæ Turonensi perturbationem injecerunt, tantaque inter canonicos evasit discordia ut divinum officium aliquandiu defuerit (2).

Jam accesserat alia, et illa quidem gravissima, turbandæ ecclesiæ Cenomanensis causa.

Erat tunc vir quidam, Henricus nomine, speciem præ se boni piique ferens, atque ideo sanctitatis scientiæque rumore, non merito, nobilis (3); quem postea *monachum* esse *apostatam* deprehenderunt (4).

Quo ex loco ortus esset, non satis constat (5). Videtur autem a Lausana civitate prædicandi exordium sumpsisse (6), atque inde Cenomanis adjacen-

(1) HILDEBERTI *opera*, epist. l. II, 36, coll. 139-140; — 37. coll. 140-142; — 38. coll. 142-144; — 39. coll. 144-165.

(2) *Ibid.*, epist. l. II, 37. coll. 141.

(3) *Acta Cen. episc.*, ap. MABILLON, *Veter. ana.*, t. III, p. 313.

(4) V. S. BERNARDI, epist. 241, *oper.* t. I, col. 238, f. Edit. Mabillon; — *Vita S. Bern.*, anct. Gaufredo, l. III, c. 6, *S. Bern. oper.* Append., t. VI, col. 1139. d.

(5) MABILLON, *Præfat.* ad S. Bern. oper., t. I, 3. 6.

(6) S. BERN. epist. 241, col. 239. b.

tium fines regionum attigisse (1). Cui corpore procero; coma barbaque incompta; vestitu simplici; nudis pedibus, bruma etiam debacchante, ingredienti; affatu expedito; ætate juveni, occurrebant matronæ atque impubes pueri.

Cujus cum fama percrebuisset, Cenomanensem populum, propria levitate raptum (2), multa libido Henrici colloquio fruendi exagitavit. Ipse Henricus, duos ex discipulis, tam vita quam habitu sibi ipsi similes, ad Cenomanos misit. Quos, ex doctoris consuetudine, gestantes baculos, in quorum vertice vexillum crucis ferreum erat infixum, *ut pote Dei Angelos* plebs, *die Cineris*, excepit. Quibus etiam Hildebertus, illa, quam prætendebant, pœnitentium specie deceptus, romanumque iter assumpturus, sermocinandi ad populum copiam fecit.

Henrico igitur mœnia civitatis ingresso, exstructa est sella e qua turbas alloqueretur. Quas, ut videbatur mirum in modum facundus, facile illexit, concitavitque ita in clerum ut « famulis ejus minarentur cruciatus, nec eis aliquid vendere, vel ab eis emere voluissent; imo habebant eos sicut ethnicos et publicanos. Præterea non tantum ædes eorum obruere, et bona dissipare, sed illos lapidare aut affigere patibulo decreverant. » Quod quominus

(1) *Acta Cen. Episc.*, *ub. supr.*, p. 312.

(2) Cfr. Néander, *Hist. de S. Bernard et de son siècle*, p. 287. tr. Vial.

exsequerentur, obstiterunt civitatis comes, Helias, et optimates (1).

At, cum quadam die quidam ex clericis ad Henricum, disceptandi gratia, accessissent, vehementer verberati cænoque obliti, vix se a plebis impetu in latebras, principis patrocinio, subduxerunt. — Tunc clerici canonicum quemdam elegerunt qui ad Henricum epistolam deferret, proposita anathematis pœna, nisi orationis vitæque genus mutaretur. Quem litteram recitantem conviciis oneravit Henricus ; tum etiam plebe supplicium minitante, vix, comitis dapiferi beneficio, sese letho eripuit canonicus. Inde nefanda magis, et ea plurima, ausus est Henricus.

Quem ut prophetam plebs colebat; clericos (2) ut ethnicos omnino aspernabatur. Ita aliquandiu unus fuit regendorum, moderandorumque animorum magister. Ex illius nutu, ut ferunt Acta Cenom. episc., plebis actio pendebat et affectus (3). Tanta illi auri, tantaque argenti suppetebat affluentia, ut *opes omnium unus possidere videretur*. E quibus plura sibi retinens, pauca tamen, *ne minis ambitiosus haberetur*, ad asseclarum usus conferebat.

De Henrici doctrina pauca admodum supersunt.

Matrimonium, sublatis e medio iis quæ de

(1) *Acta Cen. Episc., Ibid.*, p. 314.

(2) « Pestis ea diœcesim sic infecit, ut renitens ei clerus vix intra parietes ecclesiæ suam tueretur libertatem. » HILDEBERTI *opera*: epist. l. II, 24, col. 119.

(3) Ap. MABILLON, *Veter. anal.*, t. III, p. 316.

eo sanxerant Ecclesia urbanique ritus, quam maxime, ut videtur, concutiebat. Postquam enim a principio fœminas, quæ minus caste vixerant, induxit ad vestes coram omnibus, nudato omnino corpore, cum crinibus comburendum, statuit, nullum hominem neutiquam amplius aurum, argentum, sponsalia cum uxore sumpturum, neque dotem ullam collaturum ; sed nudum nudam, infirmum ægrotam, pauperem ducturum egenam ; cæterum minime *curarent seu caste, seu inceste connubium sortirentur.*

Nec defuerunt juvenes qui venales ducerent mulieres, quibus Henricus, ex illis opibus, quæ apud se ipsum abunde erant, *pannos pretio quatuor solidorum emebat, queis nuditatem suam tantum modo supertegerent.* Servæ etiam, quod erat a legibus alienum, libertinis matrimonio jungebantur. Fœminæ vero, omni in posterum luxurioso cultu rejecto, sese maritæ fidei sacramento obstringere coram Henrico tenebantur.

Haud multo post quid hæc valerent innotuit. Nullus enim ex iis qui ita conjugium inierunt, « cum multi essent, unquam uxori suæ, vel viro conjux fidem exhibuit et reverentiam. Ita alii aliis in adulterio adhærebant (1). »

Hæc de Matrimonio. Adde illa quæ ex epistolis Hildeberti sanctique Bernardi deprehenduntur.

(1) Ap. Mabillon, t. iii, p. 317.

Sanctorum invocationem (1); oblationes pro mortuis, basilicarum ædificationes et solemnium vacationes dierum impugnabat; illudebantur chrismatis et olei consecrationes; parvulis negabatur baptisma (2).

Constat eamdem omnino mentem Henricinianis et omnibus hujusce temporis hæreticis fuisse (3). Tanta vero apud animos auctoritate valuit Henrici asseclarumque doctrina ut « basilicæ sine *plebibus;* plebes sine sacerdotibus; sacerdotes sine debita reverentia essent, et sine Christo denique christiani. » Præterea vix ullus erat qui cum eo congredi auderet (4).

Quæ cum ita se apud Cenomanos habebant, Henricus, Hildeberto ex Italia redeunte, secessit in castella Cenomanis proxima, nequaquam incepto supersedens, luxuriæque temperans. Interea Hildebertus suburbia civitatis ingressus, populo benedictionem *paterno affectu, ore et manu* impertitur; plebs vero, ira succensa, signaculum et pontificalem benedictionem respuit, multas verborum contumelias interserens.

Quæ æquo animo perferens, Henricum adiit Hildebertus. Tum inito colloquio, cæcas ejus artes mira contumeliarum patentia consilioque pro-

(1) Hildeberti *oper.*, epist. l. II, 23, coll. 114-119.

(2) S. Bernardi, epist. 241, *oper.*, t. i, coll. 238. b; — Ser. 65, in Cant., *oper.*, t. iv, coll. 1497-1502; — *Vita Ber.*, auct. Gaufrido, l. III, c. 6, *oper.*, t. vi, p. 1139.

(3) Mabillon, *Præfat. ad Ber.* oper., § 6.

(4) S. Bernardi, epist. 241, col. 238 b.

diis (1), plebem quoque ira percitam tum ratione cum modestia placavit. At, nonnisi longo temporis spatio interjecto, Henrici memoria deleri potuit (2). Plurimi etiam e clericis, in errorem inducti, « huic et habitu religionem et verbis literaturam simulanti tandiu adhæserunt, donec eis et turpitudo in vita, et error innotuit in doctrina (3). » Duo præcipue numerantur, Cyprianus scilicet et Petrus. Quos postea, Hildeberto auctore, ad fidem reversos episcopus Genom. clero ea animi benevolentia, quam omnibus præstabat, diligentissime commendavit (4).

(1) Operæ pretium videtur hæc e prædicto colloquio decerpere : « Requirente Episcopo, cujus ordinis fungeretur [Henricus] officio ? ait ille : Diaconus sum. Tunc Episcopus : Profer igitur si hodiernis interfuisti mysteriis. Respondit : non. Pangamus ergo Domino Deo hymnos matutinales. Quibus inceptis, Henricus profitetur se dietam ignorare. Episcopus tamen volens omnino ejus reserare inscientiam, Dei genitrici solitos psalmos canere cepit. Horum quoque nec versus noverat, nec seriem. Sicque rubore confusus, vitam suam, genus dogmatizandi et præsumptionem profitetur. Totus petulantiæ deditus, sermocinandi ad populum, et tesseras jaciendi notitiam tantummodo prosecutus erat. *Acta Cen. Episc.* ap. MABILLON, t. III, p. 319.

(2) *Acta Cen. episc.*, t. III, p. 320.

(3) HILDEBERTI *opera;* epist. l. II, 24, col. 119.

(4) Hæc ideo, fratres, fraternitati vestræ scripsimus, ne si contigerit præfatos juvenes vestras ingredi paræcias, ex hujusmodi mutatione aliqua notentur infamia, sed potius utrique congaudeatis, quia uterque mortuus erat, et revixit, perierat et inventus est. » *Ibid.*, epist. 24, coll. 119-120.

Quod si Neandro fides adjicienda, S. Bernardum sibi socium ut Henricus refelleretur adjunxit (1). Quod vero qua ratione fulciatur minime video. Equidem Gaufridum, vitæ S. Bernardi scriptorem, profert Neander: at, pervoluto Gaufridi opere, nihil omnino reperias quod proposito conducat. Ea tantummodo referuntur quæ apud Tolosanos egit S. Bernardus, ut eos ab Henrici errore ad sanam mentem revocaret (2). Quorum ipse S. Bernardus meminit in illa, quam ad Tolosanum comitem scripsit, epistola (3). Quare si culpandus videbitur Hildebertus quod ad populum Henrico, nondum satis probato, aditum dederit, hoc ei præcipue laudi tribuatur, hæresim in diœcesi, tum contumeliarum tolerantia doctrinaque, cum solita in resipiscentes benevolentia, profligasse. Porro in his iterum cernitur episcopus officiis plebique addictissimus.

2. — Jam vero quæ quantaque ab Hildeberto perpetrata sunt ad instituti monastici decus! Si qua noverit monasteria injuriam pati, defraudarive privilegiis, aut indigere præsidio, eatenus apud summum Pontificem et Principes interveniebat ne istiusmodi res protraheretur (4). Ideo plurimi abbates, primusque inter alios Goffridus Vindoci-

(1) NÉANDER, *Hist. de S. Bernard et de son siècle*, p. 293.

(2) Cfr. *Vita S. Bernardi*, *auct.* Gaufrido, l. III, c. 6., *oper.*, t. VI, coll. 1139-1140.

(3) S. BERN., epist. 241, col. 238. c.

(4) HILDEBERTI *opera;* epist. l. II, 42, coll. 148-149.

nensis (1), ad eum confugerunt, ut jus suum de malo eos habentibus obtinerent. Item legitur de monachis S. Melanii Rhedonensis (2), necnon de monialibus Fontis-Eberaldi. Raro admodum accidit ut, qui Hildeberti opem efflagitaverant, exoptatum finem non fuerint assecuti. — Quædam Henrici I charta, qua ille abbatiæ Savigneiensi plurimas concedit ecclesias, inscribitur Ildeberto, Cenom. episcop. et *omnibus baronibus suis tam* [de] *Cenomannia quam de Normannia* (3). Ipse Hildebertus subscripsit propriaque confirmavit auctoritate donationes constitutas in gratiam abbatiarum Majoris monasterii (4), S. Vincentii Cenomanensis (5) et Savigneiensis (6).

Aliunde si qua noverit in melius converti monasteria, inde reficiebatur animus ejus, gratulabaturque iis qui monachos ad primigenium fervorem revocabant (7); si qua e contra officiis deesse, « inde anima ejus cruciabatur (8). »

Porro neminem fugit disciplinam ea tempestate

(1) Goffridus Vindocinensis, epist. 21, 23, 24, 25, 26, ap. *Rec. des hist. des Gaules et de la Fr.*, t. xii, p. 280, 281, 282, 283.

(2) D. Morice, *Preuves de l'histoire de Bretagne*, t. i, p. 557.

(3) *Chartul. Savign.*, part. V, n° 1. Hæc charta inscripta est apud Baiocas, in *natale Domini, in anno quo rex Anglorum dimicavit et debellavit regem Francorum*. V. Append. n° 2.

(4) Baluze, *Miscellan.*, t. vii, p. 202-203.

(5) Martenne, *Ampl. collect.*, t. i, col. 606.

(6) *Chartul. Savign.*, t. v; — *Ibid.*, f. 173 v°, n. IX. V. App. n° 3.

(7) Hildeberti *opera*; epist. l. I, 20, coll. 60-61; — l. II, 10, coll. 90-91.

(8) *Ibid.*, l. I, 11, coll. 33-37.

in plurimis monasteriis solutam esse, et mores in deterius mutatos. Quod, post S. Bernardum et præstantissimos viros, deflet tum in epistolis cum in sermonibus ipse Hildebertus. Quæ refert de monasterio Ebronensi, ea de multis aliis narrantur. In quo scilicet hæc inter alia reprehenduntur : claustrales scilicet plateis pro claustro, scurrilitatibus pro lectione uti; — liberius cum mulieribus vivere ; — res sanctuarii exterius violentia, vinolentia petulantiaque interius atterere ; — abbatem præesse non ad judicium culpæ, sed ad dispendium sanctimoniæ; minime curare nec quid nec quod in refectorio edatur ; « dormitorio quoque tam inexorabile odium indicere videri ; ac si in eo quiescere communiter, materia esset infamiæ, non species doctrinæ (1). »

Quæ quidem ideo describebat Hildebertus, ut a legato Apostolicæ Sedis disceret quid congruum menti hujusce monasterii reficiendæ videretur.

Ut quid iterum memorem monachos illos laxioribus vagantes calceamentis; caput in ampliorem radentes coronam; intolerabilia e subjectis vectigalia, ex operario mercedem litibus extorquentes (2); cellam spoliantes ut nepotem vestiant; mollioribus solitos incubare stratis, rarioribus necnon brevioribus interesse vigiliis (3), fratresque detrahere (4)?

(1) Hildeberti *opera*, epist. l. II, 25, coll. 120-121.
(2) *Ibid.*, epist. l. I, 11, col. 35.
(3) *Ibid.*, ser. 39, col. 430.
(4) *Ibid.*, ser. 68, coll. 570-71. « Qui, cum fratrem vident

Illa monasticæ vitæ vitia apprime, et quasi expertus, noverat Hildebertus; ideo in ea amovenda resecandaque omnem curam atque operam conferebat. Testantur hoc egregii illi, quos sæpe sæpius ad monachos habuit sermones: in quibus, moniali vita summis elata laudibus (1), monachos ad pœnitentiæ manuumque labores, modestiam, humilitatem, paupertatem, hospitalitatem, mundi contemptum, solitudinis amorem et silentii, scripturarum lectionem, instituendos atque erudiendos summopere curabat (2). Ex his enim virtutibus decus totius rei monasticæ pendere et in illis colendis versari intelligebat. Quam ob rem si quis forte, pœnitentia ductus, ad meliorem frugem se reciperet, id abbati diligentissime præcipiebat ut summa benevolentia exciperetur (3).

prolixius orantem, crebrius vigilantem, arctius et rarius edentem, aiunt : hic frater noster somniavit mortem abbatis; ideo faciem suam demolitur, ut oculos intuentium illudat; et cum transit coram eis, insultant ei, et dicunt: ecce somniator venit: erit abbas noster; vel forte aliis ipse invidebit, vel æmulabitur perfectionem aliorum, et conabitur (onerabitur) supra vires. »

(1) Hildeberti *op.*, ser. 12, coll. 268-269; ser. 39, col. 430; ser. 64, coll. 550-561; ser. 87, col. 660.

(2) *Ubi supr.*, epist. l. I, 11, coll. 35-36; *Vita S. Hugonis, Cluniac. abbat.*, col. 913.

(3) *Ibid.*, l. III, ep. 49, coll. 157-158; ep. 50, coll. 158-160. — « Si misericordiam ignoramus, humanæ salutis viam perdidimus certiorem. » (Ep. 49.) — « Misericordia speciosum est humanæ naturæ ornamentum. » (Ep. 50.)

Quantum vero remissos quorumdam monasteriorum mores dolebat, tantum Cluniacensis cœnobii sub S. Hugone virtutes jure ac merito extulisse videtur. Tum enim Cluniacensis religio in tantum efflorebat, ut « inde assumerentur pariter et exempla sanctimoniæ et qualitas doctrinæ (1). » In eo vero incumbebat B. Hugo ut monachi sanctitate simul et scientia vigerent. Quod ita assecutus est, ut « doctrina pariter et exemplo, conventum hominum conventum fecerit esse sanctorum (2). »

Sed hæc hactenus de Hildeberti epistolis. In quibus, si rem ex veritate tractaverim, altitudo animi, atque in tuendis Ecclesiæ juribus studium, in adversis et maxime injuriis tolerantia cernuntur; quod si semel animo deficere visus est, mox et iis ipsis adversis animosior exstitit. Idem exhibetur rerum hominumque, quos pro opportunitate consiliis juvabat, doctus et intelligens existimator; —regibus addictus, minime vero serviliter; —partes summi Pontificis, duriori utentis fortuna, strenue sustinens; —eorum quibus præerat, et maxime pauperum, commodis utique inserviens; — in regula morum, cujusque statui accommodanda, singularis prudentiæ; patiens, præstansque in errore profligando; —in informandis denique cleri et monasteriorum moribus plurimum incumbens, nec parum valens.

(1) *Ibid.*, *Vita S. Hug.*, col. 913.
(2) *Ibid.*, col. 914.

Is, ni fallor, occurrit Hildebertus cuique epistolas perpendenti.

Non incongruum videtur summam ejus in ornandis ecclesiis, litterarumque studiis promovendis diligentiam memorare. Quod duplici articulo absolvetur.

Art. v. — De Hildeberto architecta.

Jampridem constat clericorum ordinem, medio ævo, architectorum partes et onus summa peritia, summoque omnium emolumento sustinuisse (1). Alii enim pontes fluviis injiciendos, alii vias patefaciendas seu reficiendas, alii domos tum publicas cum privatas ædificandas, alii demum templa Deo dicanda vitreisque illustranda, suscipiebant.

Ultimo hoc in munere Cenom. episcopos non parum valuisse patet cuique eorum acta pervolventi (2). Hildebertus vero jure ac merito annumerandus videtur inter episcopos et abbates qui ecclesiarum suarum, cœnobiorum et domuum exstructioni invigilasse, necnon præfuisse dicuntur. Quod quidem recte deducit Charma (3) ex iis quibus incipit *Liber* Hildeberti *de Querimonia et conflictu carnis et spiritus seu animæ :*

(1) Michelet, *Histoire de France*, t. ii, p. 680.

(2) Mabillon, *Veter. analect.*, t. iii, p. 46, sqq.

(3) Charma, *Notice biographique, littéraire et philosophique sur Lanfranc*, p. 159.

« Incendio domus mea corruerat, et reficiendi studio sollicitus anhelabam ; ligna cædi præceperam, quadrari, et expensas provideri ; totus eram in hoc, et omissis pontificalibus negotiis, quo in loco ponerem fundamenta, quantum palatia extenderem, nunc intuitu, nunc arundine metiebar (1). »

His præmissis, non abs re forsan erit singula pandere opera quæ in exstruendis ædificiis, ornandisque ecclesiis impendisse narratur. Porro statim post sumptum episcopatum, « quamvis, ut ferunt Cenom. episc. Acta, cum Maria ad pedes Domini sedens, contemplationis ejus dulcedini, si fieri posset, vacare jugiter elegisset, tamen cum ad Marthæ sollicitudinem pastoralis officii cogeretur necessitate transire, mirum quam studiose, quam strenue exteriorum ministrationibus operam daret; et ea, quæ antecessorum negligentia vel destructa fuerant, vel omissa, infatigabili studio restaurare satagebat. Continuo namque domum Capituli, quæ ibi, ex multo tempore, nulla penitus habebatur, laudabili opere cœpit a fundamentis construere, eamque decenter et undique *vitreis* illustravit, et fornicis opere subtergere procuravit ; multaque alia facere disponebat, nisi, supervenientibus magnis tribulationibus, fuisset impeditus (2). »

Jam enim notatum est tantum Hildeberto inesse studium eorum quæ ad ecclesiæ ornamentum spec-

(1) HILDEBERTI *opera*, col. 943.

(2) Ap. MABILLON, *Veter. analect.*, t. III, p. 305.

tabant, ut maluerit, Guillelmo dura minitante, adire quælibet adversa, quam turres eruere (1). Igitur coactus in Angliam sese transferre, Guillelmi vero jussis et promissis minime obtemperans, plurima tamen magni pretii vasa, vestesque sacras exornandæ ecclesiæ comparavit (2).

Postea multis diversi generis muneribus a Rogerio, Siciliæ comite, atque aliis optimatibus donatus, magnam eorum partem, quæ secum detulerat, ecclesiis civitatis distribuit. Cætera vero benigne largitus est ut damna eccl. Cenom., domibusque et prædiis episcopalibus, a Consulibus Cenom., Guillelmi Rufi assentatoribus, gladiis et igne illata, resarciret. Fertur enim tum novas domos episcopales construxisse, ecclesiæque reficiendæ insistere non destitisse (3).

Ipse Helias, Cenom. comes, ex infensissimo Hildeberti tunc factus amicissimus, canonicis ecclesiæ B. Juliani plurima jura muneraque con-

(1) V. *Supra*, pars II, c. I, § 1.

(2) « Inde detulit duo preciosa cimbala, et optimam cappam de pallio, et duas pelves argenteas cum aliis ornamentis quibus hucusque nostra ornatur ecclesia. » Ap. MABILLON, *Veter. anal.*, t. III, p. 309.

(3) « Ipse easdem domos de occidentali parte in orientalem partem ecclesiæ transtulit, easque juxta Sancti Salvatoris ædem, in loco ubi aula domni Gervasii præsulis, decenti opere collocavit. Qui etiam in villa episcopi sui, quam Viriacum nominant, aulam lapideam cum cubiculis et cellario construxit, eamque terris, vineis, decimis augmentavit. » Ap. MABIL., *ubi supr.*, p. 311.

cessit ; omnes sacerdotes et clericos ab omnibus *custumis* (sic) publicisque exactionibus immunes esse instituit ac quietos; prædictam ecclesiam multo auro et argento ditavit ; ac demum moriens quinquagenta uncias auri reliquit, unde postmodum Hildebertus, ex Heliæ præscripto, « crucem magnam, gemmis et emblematibus illustratam, composuit (1). »

Aliunde dono acceperat a Mathilde, Anglorum regina, duo candelabra aurea, quæ « ambitiosa materia, præclara cælatura (2) » prædicat.

His et aliis undique comparatis, « opus ecclesiæ quod per longa tempora protractum fuerat, suo tempore satagens consummare, dedicationem, anno Domini 1120, in octavis Paschæ, ultra forte quam res exposcebat, acceleravit (3). » Etsi vero dicitur multa inexpleta præteriisse (4), omni tamen ope atque opera enixus esse videtur, ut quam maximo ritu, in honore et nomine sanctæ et gloriosæ semperque Virginis Mariæ, beatorum Martyrum Gervasii et Protasii necnon S. Juliani, dedicaretur. Adfuerunt enim Guillebertus, Turonensis archiepiscopus ; Gaufridus, Rotomagensis ; Marbodus, Rhedonensis episcopus; Reginaldus, Andegavensis ; Hildebertus, Cenomanensis, unusquisque altare consecraturi; plurimi etiam abbates; multæ vicina-

(1) *Ibid.*, p. 311.
(2) Hildeberti Epist., l. I, 9. col. 24-26.
(3) Ap. Mabillon, *ubi supr.*, p. 320.
(4) *Ibid.*, p. 320.

rum ecclesiarum *venerabiles* personæ, ipseque Andegavensis comes, Fulco, Fulconis filius, atque uxor ejus Aremburgis.

Tum comes comitissaque narrantur, efflagitantibus episcopis, multa ecclesiæ dona, ut Deo animarumque saluti inservirent, conferenda promisisse. Quod revera, paucis post diebus, baronibus populoque assentientibus, perfecerunt (1).

Præterea videre est apud auctorem Cen. episc. Actorum quantum Gaufridus, Gaufridi de Me-

(1) « Igitur dederunt B. Juliano unam feriam *(une foire)* in « civitate Cenoman., in anniversario die consecrationis matris « ecclesiæ, tribus diebus continuis celebrandam, scilicet die « sabbati et die Dominica et die lunæ. Dederunt etiam omnes « reditus illorum trium dierum quoscumque, vel quocumque « modo comes habebat in civitate, vel in burgis, tam in con- « suetudinibus, quam in forfactis, nihil omnino sibi retinen- « tes, præter *effusionem* sanguinis in illos malefactores, qui « censura curiæ premuntur. Quidquid autem pecuniæ apud « latrones vel forfactores invenietur, in pecuniali composito « ipsius forfacti ecclesiæ erit; effusio autem sanguinis curiæ « ministris ascribetur. Hujus sane donationis medietas episco- « palem spectabit mensam; alia vero in usum cedet canoni- « corum.... Porro cum recitatum esset istud domum, comes « filium Gaufridum posuit super altare B. Juliani, offerens « ei et ipsum puerum, et per eum et in ipso præfatum « beneficium. Tum vero relinquens puerum super aram, « atque uberrimis perfusus lacrymis recessit, brevi intervallo « Jerosolymam, sicut disposuerat, profecturus. » Ap. Mabil., *Veter. anal.*, t. III, p. 321-322. — Quæ, quoniam multum conferunt ad illustrandam hujusce temporis mentem, in medium proferenda erant. Nota igitur *feriam* ipsi B. Juliano, minime

duana filius, atque Hildebertus, peracta dedicatione, ad ornandam ditandamque B. Juliani ecclesiam ex propriis sumptibus contulerint, et quam multas ecclesias idem episcopus a novo fundaverit (1).

Quæ quidem, etsi jam antea a Beaugendre illustrata, revocanda tamen duximus, ne Hildebertum aliqua laude fraudare videremur.

Art. vi. — Hildeberti in studiis litterarum promovendis diligentia.

Addere decet eumdem episcopum non minori diligentia promovendis litterarum studiis ecclesiasticisque disciplinis invigilasse.

Ipse a pueritia litteris sedulus operam dederat; ideoque, ut ex ejus operibus patet, optime callebat profanos scriptores ecclesiæque patres. Scripta enim referta sunt Virgilii, Horatii, Ovidii, Juvenalisque et Lucani versibus; sententiis excerptis e Tullio, Sallustio atque in primis e Seneca, quem « vocat moralitatis eruditorem elegantissimum (2). »

vero cui libet alii concessam, ipsamque die Dominica celebrandam ;—reditus in episcopalem mensam canonicosque partitos; —sanguinis effusionem curiæ ministris ascriptam ; — comitis filium B. Juliano, ut pate patrono, dedicatum ; — ac demum comitem, re peracta, Jerosolymam proficiscentem.

(1) *Ibid.*, t. III, p. 322, 325, 327.

(2) *De Honesto et Utili*, col. 961.

Quoad SS. Patres spectat, excoluisse videtur præ cæteris SS. Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Gregorium Nazianzenum, Gregorium et Leonem, Isidorum Hispaliensem, Bedam præsertimque Augustinum, quem sibi valde *familiarem* gloriatur (1).

Ut autem aliis posset esse exemplo, sacris scripturis legendis cæterisque ecclesiasticis disciplinis, sumpto episcopatu, occursantia inter negotia (2), propensius totoque animo incubuit (3). Is præcipuus studendi modus : « divinarum scripturarum libros aut ipse legebat, aut coram se legi faciebat; atque inde, quasi apes prudentissima, multiplicium sententiarum flosculos colligens, dulciores melle sententias excerpebat : ex quibus tanquam sapiens pigmentarius potum mellifluum conficiens, suis auditoribus aliquando scriptis, aliquando vivis vocibus probinabat (4). »

(1) *De Conflictu carnis et animæ*, col. 952.

(2) De his negotiis sic habet : « Talem ego miser fabuligerum profiteor, talem circumfero sacerdotem, qui cum totam diem conservandis expendo animalibus, nec unum saltem momentum conservandis impendo animabus. Occursant inimica spiritui meo negotia, quæ me sibi totum vindicant, quæ secretum furantur orationum, quæ velut modicum diurnis insæviant aculeis, infestant etiam dormientem ; et quod absque lacrimis vix possum confiteri, sub repens et furtiva causarum recordatio, miserum me ad sacra sequitur altaria, ubi dum ejus fugam deprecor, assultu circumvallor. » Epist. l. I, 22, col. 69.

(3) Ap. MABILLON, p. 303.

(4) *Ibid*, p. 304.

Persuasum enim habebat hoc esse uniuscujusque, præcipuéque sacerdotis, officii, diversa sic alternare studia, ut nunc requiescere liberet in contemplatione cœlestium, nunc ad proventum laborare proximorum (1), atque ita comparatam cæteris scientiam impertiri. Quod quidem gravissimis his argumentis fulcire consueverat : « Nobilis possessio est scientia, quæ distributa suscipit incrementum, et avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur (2). » Præterea quicumque sub Evangelico se cohibuit consilio, Deum promisso, si sapientiam absconderit, holocausto defraudat (3). Quare inter gratulandum Willelmo de Campellis conversionem a seculari ad christianam philosophiam, illum hortatur ne magisterii vel concionatoris munus obire desinat (4); insuper S. Anselmum rogat ut, quæ in concilio Barensi de processione Spiritus sancti adversus græcos viva voce egregie disputavit, scripto ad utilitatem ecclesiæ, mandare non pigeat (5).

Aliunde, sæpe sæpius de pastorum officiis sermonem agens, postquam clare aperteque exposuit quantas sibi commissis ovibus debeant exubias (6), in hoc totus est ut omnibus pateat æque incumben-

(1) Epist. l. I, 22.
(2) Epist. l. I, 1; l. II, 9.
(3) Epist. l. I, 9.
(4) Epist. l. I. 1.
(5) Epist. l. II, 9.
(6) V. Hildeberti, *opera;* sermo 1, 662-69.

dum vitæ, quam sanctimonia illustret, et doctrinæ, quam caritas exornet (1). « Sacerdotem enim sine sanctimonia Deus nescit; sacerdotem sine doctrina lex occidit (2). »

Ideo vero sanctimoniæ studendum ut Christum, in quantum potest, sacerdotes in semetipsis effingant (3), et ne, qui in vitam introducendi sunt bene docendo, eos retrahant male vivendo (4); item Scripturis sacris studendum ut habeant unde copiosa pascua gregi suggerant (5) recteque docendi munus obeant (6).

Sacerdotis enim officium est prædicare (7). Multum vero præcavendum ne homines in desperationem incaute adducat, aut in verbo doctrinæ offendat. Quare variandus est sermo pro auditorum capacitate. Quod minime fieri potest nisi magna cautela perpendatur quid diversis personis, locis et temporibus conveniat (8).

Vix autem possum quin explicem quam facunde atque instanter de sustinendis his muneribus præceperit:

Cogitate, fratres, officium vestrum; cogitate quod facti estis

(1) *Ibid.*, sermo 10, col. 704; sermo 4, col. 678.
(2) *Ibid.*, sermo 10, col. 704.
(3) *Ibid.*, sermo 6, col. 686.
(4) *Ibid.*, sermo 16, col. 739.
(5) *Ibid.*, sermo 7, col. 690.— Cfr sermo 133, col. 859.
(6) *Ibid.*, sermo 16, col. 736.
(7) *Ibid.*, sermo 6, col. 687; sermo 44, col. 855.— Cfr ser. 126, col. 836.
(8) *Ibid.*, ser. 16, col. 737-38.— *Ibid.*, ser. 52, col. 488.

magistri animarum. Cogitate quia grave periculum sit suscepisse officium, et non intendere, nec cogitare, nec laborare ad illud implendum. Evigilate, et nolite torpescere; gerite curam vobis injunctam; studete et laborate, ut impleatis officium vestrum, ut sit in vobis scientia, diligentia, cautela, circumspectio, castitas, humilitas, continentia, modestia et omnis temperantia, ut bene viventes et bene docentes, et in neutro offendentes, perducatis greges vobis commissas ad supernum ovile (1)... »

Nihil erat tam consentaneum conciliorum placitis quam illæ adhortationes. Sic enim habebat de sacerdotum officiis. Concilium Lemovicense II, anno Christ. 1031 celebratum :

« Prædicatio... per omnes ecclesias assiduanda est, ubi hanc dare strenuum doctorem Domini voluntas inspirat : etenim adeo gemendum est quia valde rari sunt in messe Dei operarii. Etsi multi sunt qui bona audiant, sed rari sunt qui dicant. Nam omnes sacerdotes, quibus parœcia commissa est, omnibus dominicis et festivis diebus admonere prædicando populum debent, secundum illud : *argue, obsecra, increpa* (2). Quia sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit, interminatione divina mortis reus est (3). »

Hæc idem concilium de episcop. officiis statuerat :

Episcopus autem quos doctos ad officium viderit et idoneos, non tantum jussu, sed etiam rogatu, ad tam sublime opus incitare debet (4). »

(1) Hild. *op.*, sermo 16, col. 789.— Cfr ser. 126, col. 836.
(2) I *Tim.* 4.
(3) *Conc.* coll., t. ix, p. 905.
(4) *Ibid.*

Ultra tendebant concilia. Jam dudum enim concionandi argumenta dicendique genus definierant. Utrumque complectitur subsequens ille conc. Turonensis III, anno 813 habiti, canon:

« Visum est unanimati nostræ, ut quilibet episcopus habeat homilias, continentes necessarias admonitiones quibus subjecti erudiantur : id est de fide catholica, prout capere possint, de perpetua retributione bonorum, et æterna damnatione malorum; de resurrectione quoque futura et ultimo judicio; et quibus operibus possit promereri beata vita, quibusve excludi. Et ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam *Romanam* linguam, aut *Theotisticam*, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur (1). »

Ea mens Eccl. statutaque. Ex iis vero, quæ jam allata sunt, colligi potest Hildebertum *jussu* et *rogatu* placitis conciliorum a sacerdotibus exsequendis invigilasse. Ipse etiam, ut recte ab omnibus intelligi posset, utramque linguam, latinam scilicet et romanam, usurpasse dicitur. Quare, cum præfatum munus summa cura obierit, par videtur pauca de ejus sermonibus inquirere.

(1) *Conc. Galliæ*, t. II, p. 298, c. 17. Edit. Sirmond. Paris 1629. Cfr *Conc. Remense*, II, ap. SIRMOND, t. II, p. 290, c. 15.

CAPUT II.

DE HILDEBERTI SERMONIBUS.

Quos Hildeberto sermones ascripsit Beaugendre, typisque, numero centum et quadraginta, mandavit, ii, si tres excipis, nondum evulgati fuerant. Quare permultum probandus est cæteris, et quidem multis, invigilasse detegendis. Fatetur ipse prædictos sermones non esse omnes ad unum e mss. excussos codicibus Hildeberti nomine utique inscriptis; nonnullos inter Comestoris Petrique Blesensis repertos fuisse. Quos tamen, arcessitis genuinis Hildeberti sermonibus, et tessera illa præeunte, ex styli similitudine et argumentorum ratione, omnes omnino Hildebertinos esse judicavit (1). Sunt e contra qui censent (2) plurimos spurios esse (3).

Quatenus res ita se habeat, statuere minime ausim. Cuique enim de iis disputanti mss, qui præ manibus non versantur, magna cautione opus est. Cum igitur lis sub judice diu, ut videtur, futura

(1) Beaugendre, Hildeberti opp. *Præfatio*, p. VIII-IX.

(2) *Hist. littér.*, t. XI. p. 314, 332, 333, 352, 353.

(3) Cfr. Hildeberti *opp.*, ser. 10. coll. 258-260; — ser. 73, coll. 600-606; - ser. 74, coll. 606-611; — ser. 74, coll. 611-613, etc.

sit, optimum factu duxi sermones illos, prout se apud Beaugendre offerunt, recognoscendos suscipere.

Jam vero Hildebertum concionatorem fuisse tunc temporis præstantem testantur Ord. Vitalis (1), Acta Cen. episc. (2), ipseque S. Bernardus (3) a quo *excelsus in verbo gloriæ* prædicatur.

Ut pateat quid sit de his præconiis, seorsim disputandum de ejus dicendi genere et doctrina.

Art. i. — De Hildeberti dicendi genere, necnon de mysticis allegoriis.

Quæ in *romano* sermone concionatus est, ea deesse videntur, aut saltem habitum hujusce Hildebertini sermonis cuique perpendere cogitanti impervia jacent. Ad hoc vero attendas velim, Hildeberti scilicet verba, lingua illa utentis, a plebe pia quidem mente excepta esse ; eumdem vero expeditius quodam modo latine locutum. Quare permultum clericis probatus erat (4). Pleraque tamen Hildeberti scripta, atque ea in primis, quæ jam nunc in controversia versantur, iis referta sunt locutionibus quæ a latini sermonis deflectunt inte-

(1) *Hist. de Normandie*, t. iv, p. 32, tr. Guizot.
(2) Ap. Mabillon, *Veter. anal.*, t. iii, p. 304.
(3) S. Bernardi epist. 124.
(4) Ap. Mabillon, *Veter. anal.*, t. iii, p. 304.

gritate, gallice sonant, grammaticasque leges nonnunquam offendunt.

Pauca afferam hinc et inde excerpta. Hæc igitur latinæ consuetudini omnino contraria reperias: *odibant* (ser. LXII, col. 542); terra *pascualis* (ser. XIV, col. 285); *parium* pro *parietum* in genitivo plurali (De Mahumete, v. 1115); *tumba* (ibid., v. 1131); *vestræ* dilectioni pro *tuæ* (epist. l. I, 17); attende ne degeneret labor *suus* pro *ejus* (epist. l. I, 7); vultis audire quam *fuit* pro *fuerit* (ser. LXII, col. 540). Vox *Sensualitas* (ne usurpem alias) sæpe sæpius a primigena significatione valde detorta videtur (ser. II, col. 216).

Aliunde occurrunt apud Hildebertum lusus in dicendi formis non admodum congruentes, absonæque verborum derivatorum a simplicibus sub simili sono repetitiones. Sint hæc in exemplum: « *Sancti quiescunt, requiescunt, conquiescunt: — Dæmones recenter conversum ideo tentant, ut tironem Dei dejiciant, vinctum transjiciant, et in carcerem projiciant* (1). »

Iterum nemo est qui non videat Hildebertum infracto contortoque dicendi genere in plurimis uti; eumdem etiam contraria contrariis opponere.

Quæ quidem, utcumque sunt, vitio sane temporis, minime vero Hildeberti inscitiæ, ascribenda sunt. Vix enim quemquam noverim æque, ut infra patebit, in veteribus scriptis volutatum. Ideo pro consuetudine sua eleganter et candide, quandoque presse dicit.

(1) Cfr BEAUGENDRE, *In Hild. serm. Monitum*, coll. 201-202.

Exinde inquirendum quonam modo orationis partes ordinet Hildebertus. Igitur, excerpto e scriptura loco, quem pro cœtus ingenio breviter illustret, ea, de quibus habendus est sermo, exponit. Equidem a proposito, ut auditori morem gerat atque etiam propriæ indulgeat indoli, nonnunquam declinare jam ab initio videtur. Plerumque tamen auditorem in medias res rapit, nec quid in oratione inserit quod non proposito conducat; tum quam sumpsit materiam, nonnisi firmis rationibus illustratam, relinquere solet (1).

Hoc autem Hildeberto proprium est et peculiare, nempe res propositas quadrifariam, tripartitove ita dividere, ut, partitionibus illis silentio prætermissis, vix ejus ingenii habitus innotesceret. Quare operæ pretium videtur non omnes omnino, ut pote nimis multas, nonnullas tamen in medium proferre; atque, ut ordo quidam servetur, dicere primum de quadripartitis divisionibus.

Docet igitur Hildebertus :

1° Deum quatuor modis invisere homines, scilicet errantes corrigendo; infirmos sublevando; confirmando bene agentes; maturos collocando in requiem. Ideo sunt in ecclesia, quæ ab horto minime discrepat, quatuor consideranda : 1° fons irrigans, id est baptisma, vel doctrina salutaris; 2° herbæ unde unguenta parentur, seu dona S. Spiritus quæ

(1) Cfr *Hist littér.*, t. XI, p. 314, 315, 316, 317, 326, 335, 336, etc.

sunt prima virtutum fomenta; 3° arbores, vel fideles in altum proficientes; 4° fructus, id est manna quo spiritus reficiatur. Quæ quadruplici hominum generi apte congruunt. Fons enim, vel doctrina corrigendi datur; unguentis sublevantur infirmi; arbores, id est, proficientes conformantur; fructus, postquam fuerunt collecti, requiete donantur (1);

2° Montes quatuor circumdare Ecclesiam : nimirum ab Aquilone, montem Gelboë, seu aerias potestates; ab Occidente, montem Samariæ, seu *hypocritas* testes; ab Austro, montem Armeniæ, id est veros pastores; ab Oriente, montem Israël, seu sanctos intercessores (2);

3° Quatuor viis hominem incedere. Alia, quæ peccatum nuncupatur, via est eundi ad Aquilonem, vel diabolum; alia ad Occidentem, et illa mortis est necessitas qua urgemur; ad Austrum (3) infirmitate illa, quæ est a natura insita, deducimur; ad Orientem, proindeque ad Deum, charitate itur (4).

Postquam hæc de quadripartitis divisionibus perstrinxi, ad tripartitas deveniendum. Hæc vero inter multa annotare placet:

(1) Hildeberti *opp.*, ser. 75, col. 612.
(2) *Ibid.*, ser. 73, col. 601.
(3) Hæc nota : « Auster calidus est ventus, et nostra infirmitas ex calore est, scilicet, et ex sanguine. » *Ibid.*, ser. 122, col. 822.
(4) *Ibid.* Cfr. ser. 61. 531; — ser. 63, col. 549; — ser. 70, col. 585; — ser. 2, col. 217; — ser. 4, coll. 222-224; — ser. 20, col. 304; — ser. 66, col. 561; — ser. 90, coll. 673-675; — ser. 96, col. 781.

1° Tria sunt malarum arborum genera : siccæ, quæ significant siccos ab omni gratia Dei et aperte malos; foliatæ sine fructu, quæ designant hypocritas; foliatæ cum amaro fructu, quæ pseudo-prophetas et hæreticos exhibent (1).

2° Tria hominem malum efficiunt, ejiciuntque de propria domo : fumus, id est, peccatum ignorantiæ; stillicidium, quod est peccatum suggestionis; mala uxor, seu peccatum propriæ concupiscentiæ. Quæ quidem rationem ancillari omnino cogunt (2).

3° Ut tribus modis a Deo receditur, ita via trium dierum *a Pharaone ad Deum* reditur, scilicet cogitando bonum, loquendo, operandoque (3).

Manifestum est ex his et aliis, quæ describere supervacuum videtur (4), Hildeberto fuisse ingenium ad mysticas rerum interpretationes proclive, et illud quidem a medii ævi mente nullatenus alie-

(1) Hildeberti *opera*, ser. 28, col. 354.— Plerumque verba Hildeberti referuntur.

(2) *Ibid.*, ser. 20, col. 304 ; cfr ser. 5, col. 232.

(3) *Ibid.*, ser. 112, col. 778. *De via trium dierum*, Hildeberto admodum familiari, cfr ser. 6, col. 237;— ser. 36, col. 416;— ser. 43, col. 453; — ser. 96, col. 706; — ser. 129, col. 849.

(4) Qui plura de his tripartitis divisionibus recensere voluerit, adeat ser. 4, coll. 225-230 ; — ser. 5, col. 233 ; — ser. 6, col. 237 ;— ser. 8, col. 247 ;— ser. 12, col. 269 ;— ser. 23, col. 323 ; — ser. 32, col. 377; — ser. 35, coll. 400-401; — ser. 58, col. 521 ; — ser. 59, col. 525 ; — ser. 64, col. 552 ; — ser. 85, col. 645 ; — ser. 90, col. 673 ; — ser. 119, col. 812 ; — ser. 123, col. 825.

num. Quoniam vero S. Scriptura panis est quo reficitur anima (1), et quasi apotheca gratiæ, ad quam rimandam duplex requiritur oculus, mysticus scilicet et moralis (2), magni refert perpendere quid in se mystice complectatur (3). Quod ut rite intelligatur, quatuor in sacris paginis sunt observanda: Historia, Allegoria, Moralitas, Anagoge (4).

Contendit Guibertus de Novigentino S. Anselmum huic explanationis modo, a SS. Patribus accepto, auctoritatem quam maximam tunc temporis conciliasse. Utcumque se habent Guiberti ista, Hildebertus *moralem* diversorum S. Scripturæ locorum *applicationem* excogitavit, metrice que reddidit (5).

Ex illa vero cujusque rei, Scripturæque interpretatione, quæ in ejus operibus, tum soluta cum stricta oratione conscriptis, occurrit, facile esse existimabat, salva prorsus catholica fide, « morum figurare honestatem (6). »

Ipsum iterum audiamus ea de re disputantem: « Verba Domini grana sunt, non paleæ, ideoque masticanda, postea transglutienda, demum incorporanda. Masticantur, quando historia bene intelligitur; transglutiuntur, quando spiritualiter intel-

(1) Hildeberti *opp.*, ser. 50, col. 480; ser. 70, col. 581.
(2) *Ibid.*, ser. 12, col. 265.
(3) *Ibid.*, ser. 3, col. 219.
(4) *Ibid.*, ser. 60, coll. 532-533-534.
(5) *Ibid.*, coll. 1211-1231.
(6) *Ibid.*, epist. l. I, 9, col. 21.

liguntur; incorporantur, quando fide, per dilectionem operante, adimplentur (1). »

Hæc sint de Hildeberti dicendi genere, mysticoque sensu. Deinceps ad ejus doctrinam, qualem se in Sermonibus exhibeat, pergamus.

Art. ii. — De Hildeberti doctrina.

Dandam omnino operam arbitrabatur, ut « fideles instruerentur et ad recte credendum, et ad bene vivendum (2). » Inde tot sermones quos ad omnes in quocumque gradu constitutos, populos scilicet, sacerdotes et monachos, habuisse nuncupatur. Ex his Hildeberti ad Mathildem, Anglorum reginam, infert Beaugendre (3) eumdem apud reges ipsos et principes dixisse:

> Qui solet ante homines Cicerone disertior esse,
> Facundus minus est dum venit ante Deos;
> Sic ego cum mediæ plebi loquar ore diserto,
> In vultu potui dicere pauca tuo (4).

Quæ tum concionabatur, ea ad tria capita revocari possunt. Alia enim, ut apud Beaugendre

(1) Hildeberti *opp.*, ser. 3, col. 219.
(2) *Ibid.*, ser. 130, col. 852.
(3) Beaugendre, *Præfat.*, p. viii.
(4) *Ibid.*, col. 1366.

videre est (1), ad mores informandos; alia ad theologiam et sacra dogmata; alia demum ad Ecclesiæ disciplinam, variosque ritus spectant. De his singulis pauca disserendum.

§ 1. — *De morum regula.* — Cum longum esset singula ordine recensere quæ ad morum præcepta pertinent, satis sit summas eorum perstringere.

Sunt duo in singulis hominibus, caro scilicet et spiritus, considerandа. Etsi vero spiritui caro adversatur, nihilominus « res bona est, ut pote quæ creata fuerit a Deo non secus ac anima. » Neutiquam tamen carnem, spiritumve Dei partes existimaveris, vel etiam a se invicem nullatenus differre. « Caro enim minimum bonum est; maximum, spiritus; summum, Deus. Animæ igitur viventi inter summum et parvum bonum, id est inter Deum et carnem, debitores sumus, quia licet inferior sit Deo, superior est carne (2). » — « Præterea sicut anima vita est corporis, ita vita animæ Deus, quo discedente, morietur anima (3). »

Quis non videat quam recte hæc sapiant, in quibus hæreticorum adversus carnem commenta expugnantur; animæ cernitur præstantia, atque ea quæ est homini cum Deo similitudo? Exinde ea persequitur evangelica præcepta, explicatque, quibus in omnes partes usus vitæ conformari possit; carnis conflictus et animæ moderari; ipsa anima,

(1) Beaugendre, *In Hild.* ser. *Monitum*, coll. 206-210.
(2) Hildeberti *opp.*, ser. 25, coll. 335-336.
(3) *Ibid*, ser. 60, col. 534.

culparum sibi conscia, labes eluere; postea in se perfici et bonis operibus ad summum deduci; tum demum proxime ad Deum accedere.

Quæ quanto christianæ plebis emolumento in plerisque tractaverit, cuique Hildebertinos sermones pervolventi perspicuum est. Qui vero eos non legerit, ea Scriptorum hist. liter. Franc. perpendat: « quæ de sacerdotum officiis disserit Hildebertus, ea cum scriptis SS. Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni, Gregoriique Magni jure et merito conferri possunt (1). »

Velim tamen ea memorare quibus optime societas hominum conjunctioque, tum ecclesiastica cum civilis, servabitur: « Non sunt contemnendæ potestates, sive mundi, sive Ecclesiæ, quia omnes ordinatæ sunt a Deo, et qui ordinatis a Deo contradicit et resistit, ordinatori contumeliam facit (2) »

Ex his, quæ a S. Paulo accepit, atque etiam ex iis, quæ de dogmatibus referenda sunt, manifestum est Hildebertum doctrinæ, catholicæ fidei omnino consonæ, utique addictum esse et consecratum.

§ 2.— *De iis quæ ad dogmata pertinent.*—Inter errores qui tunc grassabantur, primum locum obtinent Berengarii, cujus auditor fuisse dicitur Hildebertus, de Eucharistia doctrinæ. Ipse quidem fatetur excoluisse in humanioribus figmenta poetarum, quos « ramis loquacibus » comparat; pallida

(1) *Hist. littér.*, t. XI, p. 339.
(2) HILDEBERTI *opp.*, ser. 98, col. 707.

sophistarum argumenta, « qui Deo odibiles dicuntur, » et commentitias philosophorum opiniones, « qui conati sunt oculos extollere super cœlos (1), » edoctum fuisse. Constat vero Hildebertum, rectam semper de Eucharistia doctrinam tenuisse, nedum ex his erroribus aliquid hauserit. Quam ut tueretur, diffunderetque, peculiares scripsit tractatus (2); plurimos etiam ad populos habuit sermones (3), in quibus egregie de altaris sacramento disserens, Eucharisticam transsubstantiationem non solum asserit (4), sed et verbum *transsubstantiationis* tum primum usurpat (5). Docet præterea non esse de Eucharistia solito modo disputandum, sed credendum (6); fidelibus incumbere officium Christum in sacramento altaris digne suscipiendi (7); — tum etiam sacerdotes quam maxima animi munditia ad efficiendum corpus et sanguinem Christi sese præparare debere (8). Ipse nuncupatur, cum ad altare,

(1) HILDEBERTI *opp.*, ser. 60, col. 531.

(2) *Ibid.*, *Brevis tractatus de sacramento altaris*, coll. 1103-1107; — *Liber de expositione Missæ;* coll. 1107-1134.

(3) *Ibid.*, ser. 34, col. 389; — ser. 35, col. 398; — ser. 36, col. 410; — ser. 37, col. 417; — ser. 38, col. 421; — ser. 39, col. 425; — ser. 40, col. 431.

(4) *Ibid.*, ser. 38, col. 422; — ser. 43, col. 452; ser. 93, col. 689. — *De sacramento altaris*, col. 1106.

(5) *Ibid.*, ser. 93, col. 689.

(6) *Ibid.*, *Tract. de sacr. alt.*, coll. 105-106.

(7) *Ibid.*, ser. 34, coll. 389-394; — ser. 35, coll. 397-401; — ser. 43, 452; — ser. 49, coll. 457-458.

(8) *Ibid.*, *Liber de expos. Missæ*, coll. 1107-1108; — ser. 93, col. 689.

sacrosancta mysteria celebraturus accederet, vim lacrymarum profundere (1). Aliunde studiosissime curabat christianam plebem docendam perdocte et fusius ea omnia quæ ad illud sacramentum rite suscipiendum atque tractandum pertinent (2). Quare, cum in quodam monasterio Eucharisticus panis nulli nonnisi intinctus porrigeretur, illud improbavit utpote nec e dominica institutione, nec ex authenticis sanctionibus assumptum (3).

Neutiquam vero credideris illum cœteris fidei dogmatibus illustrandis minime invigilasse. Disserit enim, verbi gratia, multoties de Dei attributis, de Trinitate (4); de Incarnatione (5); de Verbi (6) sanctique Spiritus (7) munere; de originali peccato atque ejusdem traductione (8); de Angelorum necnon Sanctorum beatitudine (9). Idem immaculatam Beatæ Virginis conceptionem innuit (10), assumptionem in carne et anima asserit (11).

(1) *Act. Cen. episc.*, ap. Mabillon, *Veter. anal.*, t. iii, p. 304.

(2) Hildeberti *opp.*, ser. 8, col. 246;—ser. 99, col. 712.

(3) *Ibid.*, epist., l. II, 15, coll. 97-98.

(4) *Ibid.*, ser. 53, col. 489.

(5) *Ibid.*, ser. 8, col. 245;—ser. 9, col. 252;—ser. 55, col. 504.

(6) *Ibid.*, ser. 8, col. 247.

(7) *Ibid*, ser. 54, col. 483.

(8) *Ibid.*, sermo 2, col. 216; —ser. 5, col. 233; —ser. 94, col. 766.

(9) *Ibid.*, ser. 43, col. 449;—ser. 86, col. 656.

(10) *Ibid.*, ser. 64, col. 537;—ser. 59, col. 580;—ser. 101, col. 729.

(11) *Ibid.*, ser. 59, col. 527.

De iis, quæ ad dogmata pertinent, satis disputatum est. Deinceps, ut erat propositum, de Ecclesiæ disciplina variisque ritibus dicatur.

§ 8. *De Ecclesiastica disciplina.* — Miror prorsus Hildebertum omnino prætermissum a Phillips qui nuperrime docteque de juris ecclesiastici fontibus scripsit (1). Testatur enim Cenomanensis episcopus se decretorum exceptiones in unum volumen ordinare disposuisse. Susceptum illud opus tanti faciebat, ut, cum inter occursantia, quæ conqueritur, negotia, ad finem perduci non posset, animo agitaverit episcopatum, expleta jam operis parte, deponere, ad id peragendum quod restabat (2). Num totum hoc opus perfecerit? Prorsus ignotum. In nullo ex plurimis, quos vidit Beaugendre, Hildeberti mss. reperiri dicitur (3).

Equidem edidit Beaugendre (4) quoddam opusculum, quod quasi præfationem prædicti operis exhibet, quod vero Ivoni carnotensi, cujus nomen in mss. præ se fert, adscribi debet (5). Igitur prætermittendum est; ea vero ex Hildeberti epistolis atque sermonibus, inter se invicem collatis, eruenda sunt, quæ circa disciplinam statuit.

1° Ecclesiæ romanæ primatum multoties asse-

(1) Phillips, *Du droit ecclésiastique dans ses sources.*
(2) Hildeberti *opp.*, epist. l. II, 27, coll. 124-125.
(3) *Ibid.*, not. c.
(4) *Ibid.*, epist., l. II, 53, coll. 161-168.
(5) *Hist. litter.*, t. xi, p. 406-407.

ruit. Acta enim concilii Nannetensis (1), atque eleemosynæ cujusdam, ab Henrico I monasterio Fontis-Ebraldi concessæ (2), ad Honorium II confirmanda detulit; persæpe iterum a summis Pontificibus exquisivit ut inceptis negotiis, et iis gravissimis, ultimam auctoritate apostolica manum imponerent (3).

2° Vix quemquam reperias Ecclesiæ libertatis vindicandæ tunc temporis studiosiorem. Meminerint quanta animi firmitate patientiaque Guillelmo Rufo atque Ludovico Crasso obstiterit; quam acriter reprehenderit injurias ab Henrico V Paschali II illatas; advertas iterum quanta dicendi vi investituras, quomodocumque se offerant, in sermonibus insectetur (4).

3° Simoniacos pariter, tanquam fures, a domo Domini ejiciendos prædicat (5), doletque multos esse in ecclesia simoniaca labe inquinatos (6). Ipse clericum quemdam, qui diaconatum pretio com-

(1) Hildeberti *opp.*, epist. l. II, 91, coll. 133-134.

(2) Epist. l. II, 42, coll. 148-149.

(3) Epist. l. II, 25, coll. 120-121; — epist. l. II, 36, 37, 38, col. 139-144.

(4) *Ibid.*, ser. 92, col. 682: « Castella sua et villas suas laïci dispensent, non castra domini; temporalia, non ecclesiastica. » Cfr epist. l. II, 29, col. 129.

(5) Ser. 92, col. 682; — ser. 135, col. 864.

(6) « Alii emunt gradus ordinum; alii curam animarum, per pecuniam facti pastores ecclesiarum; alii consortium canonicorum. » Ser., 96, col. 698. — « Est etiam aliud genus simoniæ, quia complures sacramenta vendunt, et dimissis baptisteriis, confessionibus, prædicationibus, de sepulturis pre-

paraverat, ab ordine male suscepto suspendit; postea etiam a sacerdotio prohibuit (1).

4° Esse in Ecclesia aliam labem conqueritur, hereditarias scilicet invaluisse substitutiones ad dignitates ecclesiasticas atque canonicas. Quas, ut potè ab Ecclesiæ mente longe abhorrentes, funditus suadet exstirpandas (2). — Ipse tamen apud Andegavensem episc. egit, ut canonico cuidam liceret nepotem, « moribus insignem et ad litteras coævis excultum disciplinis, » canonicatui substituere (3).

5° Quidquid id est, asserebat Hildebertus ad universas Ecclesiæ dignitates rite suscipiendas requiri electionem (4), non quamlibet, ita vero factam (5), ut populo liceret quamcumque electionem assensu comprobare, minime vero clerum occupare. Quare, cum Raynaldum in Andegavensem episcopum, repugnantibus clericis, populares partes minæque intrusissent, Hildebertus Turonensem deterruit archiepiscopum ne huic juveni, infra sacros ordines et annos invento, nec canonice electo, manus

tium exigunt. Qui autem missam vendunt, corpus Domini venale faciunt, et comparabiles Judæ se faciunt. » *Ibid.* Addit tamen temporalia pro divinis oblata recipi posse, nequaquam exigi (ser. 134, col. 862); eleemosynam præcipue prædicatoribus erogandam. Ser. 23, col. 327.

(1) Epist. l. II, 48, coll. 156-157.

(2) Epist. l. II, 29, col. 126; — 30, col. 132.

(3) Epist. l. II, 3, col. 80-81.

(4) Epist. l. II, 29, col. 128.

(5) Epist. l. II, 4, col. 82.

imponeret (1). Raynaldum ipsum, jamjam consecrandum, iterum atque iterum ab episcopatu sacraque unctione suscipiendis conatus est avertere (2).

6° Ut autem in eligendis clericis atque episcopis canonica prorsus servari studebat instituta, ita contendebat Hildebertus prædictos episcopos jure suo in propria diœcesi potiri omnino debere. Ideo, ex institutis canonicis, eorum esse omnes gradus ad minimum usque clericum pro deliberatione distribuere, judicare et reformare. Præterea ordinatum quemque ita sibi ecclesiæque suæ comparabant, ut, nisi ab ea, quam spondebat ille, obedientia liber esset et absolutus, alteri diœcesi minime posset mancipari, nec alterius episcopi jurisdictioni subjacere (3).

Quare, etsi docet quam maximam summo Pontifici exhibendam esse reverentiam (4), conqueritur tamen apud Honorium II quaslibet in Curia romana *appellationes* admitti (5); — clericos, a se ipso jure ac merito excommunicatos, beneficium, « quod sua amiserant culpa, » atque etiam altaris

(1) Hildeberti *opp.*, epist. l. II, 4, coll. 82-83.

(2) « Non te elegit clerus, sed seditiosus turbatæ turbæ clamor pontificalem extorsit electionem. Ordines tibi desunt, quos in promovendis cognovimus inquirendos. Est ætas quam rigor canonicus, quia in consecratis metuit, a consecrandis expulit. » Epist. l. II, 5, coll. 83 84. Cfr l. II, 6, col. 85.

(3) Epist. l. II, 29, coll. 128-129.

(4) Ser. 98, col. 707. Cfr epist. l. II, 22, col. 102.

(5) Epist. l. II, 41, coll. 146 148.

communionem sacerdotaleque officium « sine satisfactione, sine audientia, sine absolutione, » annuente vero Pontifice, recuperasse; — inde sibi auferri potestatem, quæ huc usque omnibus tradita est episcopis, « canonice disponendi de Capellania sua (1). » — Videtur Hildebertus, quotiescumque occasio data est, jus illud sibi asseruisse, quod cuique episcopo in proprios sacerdotes obtingebat. Igitur nonnisi ad tempus Rogerio, Saresberiensi episcopo, Guidonem, a se educatum, concessit, ut ille ageret in ecclesia Saresberiensi scholarchiam; postea vero eumdem ad se revocavit, ut apud Cenomanos prædictum munus obiret (2). Dimissoriæ tamen ab Hildeberto propriis sacerdotibus traditæ sunt epistolæ, videlicet Guillelmo de Longeio quem Archiadiaconum Claromontensis episcopus elegerat (3).

Cæterum tanta Hildeberto inerat juris alieni observantia, ut sacerdotem quemdam qui, azymo deficiente, sacrificium de communi pane obtulerat, sub judicio proprii episcopi, scilicet Andegavensis, statuerit (4).

Quæ mox disputata sunt, ea ad jus episcoporum referuntur. Jam vero memoranda quæ de sacerdotum agendi ratione statuit.

1° Arbitratur Hildebertus nullatenus sacerdoti

(1) Hildeberti *op.*, epist. l. II, 47, coll. 155-156.
(2) Epist. l. II, 13, coll. 93-94.
(3) Epist. l. II, 29, coll. 127.
(4) Epist. l. II, 22, coll. 110.

licere adorientem, in ipso mortis subeundæ periculo, interimere; « considerantique quanta in sacerdote postuletur innocentia, maximeque quam immunis debeat esse a sanguine, non videtur sacerdotem reum sanguinis oportere deinceps ministrare, quamvis tuendæ salutis necessitate homicidium incurrerit (1); »

2° Item reos afficere tormentis, vel suppliciis extorquere veritatem, censuram quidem Curiæ esse, minime Ecclesiæ disciplinam; — neque bona, etiam injuste ablata, tormentorum vi a sacerdote repetenda, qui, ut pote *sacrifex*, nullatenus vero carnifex, pro reis, sed non reos immolare debet (2);

3° Nulli sacerdoti, nisi propria culpa dejiciatur, canonicis permitti institutis susceptum onus sponte abjicere. Quod si in commisso grege vel unius, vel plurimorum displicuit perversitas, prius consulendos episcopos, quam munus deponendum (3);

4° Sacerdotibus, in sacris ordinibus constitutis, indici necessitatem continendi (4); tenuissimam impudicitiæ suspicionem summopere vitandam (5),

(1) Epist. l. II, 43, coll. 149-150.

(2) Epist. l. II, 52, coll. 160-161.

(3) Epist. 51, coll. 159-160.

(4) Ser. 76, col. 615; — Ser. 132, col. 857; — « Alba sacerdotum, qua induti sunt, quæ de lino est, munditiam continentiæ designat, quæ cincta esse debet, quia propositum suum firmum debet retinere, Ser. 132, col,

(5) Ser. 96, col. 683; — Ser. 124, col. 860; — Liber de *Exposit. Missæ*, col. 1007.

nec aliter de monachis sentiendum (1).

Quoad laïcos, negat Hildebertus ullam fœminam posse conjugium inire cum viro, cujus fratri prius nupsit (2); — consanguineos et affines, quocumque prætextu, belli etiam amovendi causa, posse inhibitarum fœdera contrahere nuptiarum. Quamobrem Rothomagensem Archiepisc. comprovincialesque reprehendit, quod consanguinitatis piaculum, compendio pacis et quietis, tolerare videbantur (3).

Ipse, post assumptum Archiepisc., suffraganeis ad Nannetense concilium convocatis, statuit incesta conjugia publice ab episcopis atque sacerdotibus prohibenda; eos excommunicationi subjiciendos qui tales nuptias inire attentarent. Placuit insuper universis filios, ex hujusce modi commixtione generatos, velut spurios habendos; jus ipsum paternum ad legitimos hæredes transiturum (4).

Quæ quidem Hildeberti decreta de incestis nuptiis deque spuriis observanda omnino fidelium universitati mandavit Honorius II (5).

Has etiam Hildebertus consuetudines solvit, quæ, usque in diem præfati conventus, in *terra* Britanniæ comitis invaluerant: quarum scilicet altera erat, ut, maritis atque uxoribus vita fungentibus, universa eorum *mobilia* in comitis possessionem venirent:

(1) Ser. 132, col. 861.
(2) Epist. l. II, 1, 2, coll. 77-80.
(3) Epist. l. II. 14, coll. 95-96.
(4) Epist. l. II, 30, coll. 132-133.
(5) Epist. l. II. 31, coll 133-134.

altera vero ut, quidquid enatabat, totum hoc fiscus lege vindicaret patriæ. Utramque igitur acerbissimam exactionem Hildebertus, annuente ipso comite, assentienteque Honorio II, anathemate percussam in posterum abtulit (1).

Quibus ex rebus de disciplina perstrinctis intelligi potest, summum Ecclesiæ decus, matrimonii reverentiam, morum informationem, multaque populis commoda emersisse. Quare fatendum est Hildebertum omnia sua officia in rem publicam atque ecclesiasticam utique contulisse.

Unum restat de ejus sermonibus tractanti, ut præcipuos Ecclesiæ ritus, qui tunc vigebant, excerpam.

§ 3. *De Ecclesiæ ritibus.* — Placet hosce ritus inquirere qui ad pœnitentiam publicumque cultum referuntur (2).

1. Ex Hildeberto discimus tunc laïcis indici, ut, tempore Adventus, a carnibus abstinerent (3); Septuagesimam jejuniorum januam haberi, ideo deponi canticum Domini *alleluia* (4); Quadragesimam caput esse jejunii quod ultra trigenta sex dies non producebatur (5); idem ab ipsis pueris observa-

(1) Epist. l. II, 31, coll. 133-134.

(2) Cfr Beaugendre, *In Hild. Ser. Monitum,* coll. 205-208.

(3) Hildeberti *opp.*, ser. 1, col. 215.

(4) Ser. 17, col. 296; — ser. 48, col. 469; — ser. 49, col. 471; — ser. 111, col. 774.

(5) Ser. 136, col. 866. — « Quadragesimali tempore, non tantum a carnibus abstinere debebant Christiani; sed a quo-

ri (1), protrahi ad vesperam (2), celebrari etiam die defunctorum commemorationis (3). Quale autem requireretur, satis innuit Hildebertus, eos redarguendo qui « ad luxuriosam cœnam servabant ventrem suum, qui non parcius solito comedebant et aridius, qui jejunio alas suas non faciebant eleemosynas et orationes (4). »

Episcopi proprium erat pœnitentes in capite quadragesimæ ex ecclesia solemni quodam ritu ejicere (5). Qui, dum injunctam sibi exsolvebant pœnitentiam, quasi a propria domo exsulabant (6); capillos barbamque nutriebant; caprinum induebant cilicium, ut memoriam tenerent peccatorum, « quæ per capras intelliguntur »; tum demum cinere aspergebantur, ut memores fierint « quia cinis sunt

cumque deliciarum genere, velut a vino, a vehiculis, a venatione, a litibus, vel etiam ab armis. Quæ ita stricte prohibebantur, ut inter causas exauctorationis Ludovici pii Imperatoris, illi præcipue fuerit exprobratum quod sine ulla certa necessitate, *in diebus Quadragesimæ*, expeditionem fieri jussisset. » Beaugendre, *Nota* ad ser. 136, col. 868

(1) Ser. 23, col. 387.

(2) Ser. 85, col. 650. — Quod quidem jejunium confessio præcedebat. Ser. 18, col. 301.

(3) Ser. 85, col. 650. — Hancce commemorationem S. Odo in suis monasteriis nuper agendam instituerat, et postea universalis Ecclesia recepit, pieque celebravit. » Beaugendre, *Nota* ad ser. 85, col. 648.

(4) *Ibid.*, col. 650.

(5) Ser. 23, col. 333; — ser. 56, col. 507; — ser. 60, col. 534.

(6) Ser. 18, col. 298.

et in cinerem revertentur (1). » Alii publice, alii in occulto, pro criminum diversitate, pœnitentiam agebant (2). Sæpe hisce pœnitentiæ operibus septem anni erogabantur (3). Verumtamen peccatores nonnunquam, absoluta nondum pœnitentia, Ecclesia vero indulgente, in cœna Domini ad tempus reconciliabantur, ut ad percipiendum, proximo Paschate, corpus Christi sese præpararent (4).

II. Ex altera parte, hæc de cultu publice exhibito notatu digna videntur.

Epiphaniæ festum ipsa Nativitate majus habebatur (5).—Ut dominica dies in resurrectionis memoriam, ita, Sylvestro pontifice, feria quinta in Ascensionis honorem singulis hebdomadibus celebrabatur (6).—Feria sexta, dominicam Ramorum præcedente, imaginem Crucifixi solemni pioque ritu deferebant Cenoman. canonici ad monasterium S. Vincentii, indeque, sequenti dominica, ad matricem ecclesiam (7). — Olim sabbatum sanctum officio vacabat. Hac enim die, D^us Papa totum se

(1) Ser. 23, col. 332;—ser. 34. col. 393.

(2) Ser. 56, col. 507.

(3) Ser. 18, col. 298. — Quod sic explicat Hildebertus: « Septenarius competit pœnitenti, quia veniam a septenario Spiritu exspectat. » Ser. 23, col. 333.

(4) Ser. 34, col. 393; — ser. 36, col. 414-416.

(5) Ser. 15. col. 289.

(6) Ser. 49, col. 475.

(7) Ser. 41, col. 437. — « Sic habet Martene (*Tract. de divinis officiis*, cap. 19, n° 26) de hac processione : « Cum de-

erogandis eleemosynis lavandisque pauperum pedibus tradebat (1). — Per id tempus, corpus et sanguis Christi fidelibus separatim ministrabantur (2).

Liquet ex Hildeberto tunc, longeque antea, implorato B. Mariæ nomine, genua flecti (3). Assumptionem vero, eodem pontifice, minus solemniter quam nunc agi testantur Cenom. episc. Acta. Siquidem in iis legitur : « uno tantum duplice et thure ad Laudes canonici utebantur. » Guido vero, Hildeberti successor, Assumptionem, adstantibus et *assensum* præbentibus canonicis, in suo capitulo constituit solemnius celebrandam, concessitque « de censu proprio unde duplices fieri, et thus valeret præparari ad Nocturnos (4). »

Animadvertere est Guidonem id effecisse, ut res canonicis probaretur. Hoc enim erat in more po-

portatur imago crucifixi ad S. Vincentium, cooperta pallio, debent esse quatuor sacerdotes, in albis et stolis revestiti, euntes nudis pedibus cum aliis revestitis usque ad S. Vincentium, ita ut capellanus nostræ Ecclesiæ sit ad caput, capellanus de Gordona ad pedes, capellanus S. Michaelis ad dextrum brachium, et capellanus de S. Audoëno ad sinistram, et quatuor pueri cum subdiacono, similiter discalceati; et cum venerint ad dictam ecclesiam, cantetur responsorium de S. Vincentio; quo finito, cum oratione et precibus, dimittant ibi crucifixum usque ad ramos Palmarum. »

(1) Ser. 33, col. 388. — Adde ex Hildeberto hominem feria sexta conditum, deceptum atque liberatum. *Ibid.*

(2) Ser. 38, col. 422.

(3) Ser. 59, col. 528.

(4) Ap. MABILLON, *Veter. anal.*, t. III, p. 339.

situm, ut, cum de ritibus immutandis ageretur, episcopi e canonicis sententias exquirerent. Jam antea Hildebertus, ex eorumdem consensu, decreverat Missam, horas vigiliasque defunctorum, singulis diebus totius anni, a die obitus ad præbendæ anniversarium, in eccl. Cenom. honeste et regulariter unicuique canonico celebrandas. Quod munus iis commissum est sacerdotibus qui minime erant canonici, quibusque reditus ex ipsa defuncti præbenda curavit comparandos (1).

Exinde, cum res se offerat, quærere decet quæ de Missæ ritibus tradiderit. Qui quidem scripsisse dicitur brevem de *Sacramento altaris* Tractatum (2); Librum de *Expositione missæ* (3); versus impariter junctos de *missæ Mysterio*, quibus P. Paillardi elegi præfiguntur (4); hexametros de *Sacramento altaris*, novoque sacrificio vetus abrogante (5); atque iterum de *Eucharistia* hexametros (6). Ita Beaugendre.

Minime vero constat scripta illa esse Hildeberto omnia ad unum ascribenda. E contra versus de *Sacramento* altaris, necnon Liber de sacra *Eucharistia* ad Petrum Pictorem, qui circa annum 1170

(1) « Præbendæ reditus ex integro per quinque et quinque sol. distribui debebant. Quod si hujusmodi excederent *eleemosynam*, illud incrementum pauperibus et ædificationi cenam, eccles. conferendum erat. » Ap. Mabillon, *Veter. anal.*, t. III, p. 325.

(2) Hild. *op.*, coll. 1103-1108.

(3) *Ibid.*, coll. 1108-1134.

(4) *Ibid.*, coll. 1134-1150.

(5) *Ibid.*, coll. 1150-1151.

(6) *Ibid.*, coll. 1152-1169.

floruisse putatur, in ms., n° 658, S. Germani a Pratis referuntur (1). Insuper in cod. Giss. procemio, « qui ex optimo aliquo exemplo descriptus, multas egregias et memorabiles lectiones continet, auctiorque est editione Beaugendriana, » carmen de *Officio Missæ* inscribitur : *Summa sacrificiorum Ifonis*. «Fortasse vero hæc *Summula* est vel ex Hildeberti opere prosaico de *Sacramento altaris* (a nescio quo poetastro composita), vel ex *Ivonis*, episcopi scilicet Carnotensis, *decretis* confecta (2). » Quare brevis ille de *Sacramento* altaris tractatus, necnon liber de *Expositione* Missæ genuina tantummodo Hildeberti opera videntur. Mirabitur vero fortasse quispiam episcopum illum, qui tot poemata, tot eprigrammata, tot cujuslibet generis composuisse versus dicitur, nullum omnino carmen de Eucharistia cecinisse. Quod vix credibile videtur.

Quidquid id est, in brevi illo tractatu, cujus auctor habetur Hildebertus, fides Eccl. de altaris Sacramento certis argumentis rectisque rationibus confirmatur. In libro de Expositione Missæ, recensito animi habitu qui ad efficiendum corpus et sanguinem Christi requiritur, explicatur quis sit ordo sacerdotalium vestimentorum, quid unumquodque mystice sonet, quid unaquæque pars Missæ, verbaque canoni inserta significent. Quibus interpretandis multa ex Alcunio Amalarioque

(1) *Hist. litt.*, t. XI, p. 370 378.

(2) OTT, *Comment. critici in codices biblioth. Gissensis*, p. 85.

mutuatus est (1). Quæ ex se ipso eduxit, ea apertissime explicuit, et plerumque in iis exornandis mysticas rationes adhibuit.

Porro neminem fugit, aliquantisper in iis, quæ ad liturgiam pertinent, versatum, non unam eamdemque esse Ecclesiæ ritus illustrandi viam. Alii enim, posthabitis rationibus mysticis, prædictos ritus more historico, simplici et obvio (2), alii more mystico (3), repræsentare studuerunt. Hosce secutus est Hildebertus.

Cæterum Hildebertina illa Missæ expositio eo majoris momenti videtur, quod ex ea perspicuum est Ecclesiam tunc iisdem, quam nunc, uti ritibus. Annotare tantum succurrit verba illa e Missæ canone postea sublata fuisse: « Memoriam venerantes..... *necnon illorum, quorum solemnitas hodie in conspectu majestatis tuæ celebratur* (4). »

Postquam vero ex Hildeberti epistolis atque sermonibus, inter se collatis, ea excerpta sunt quæ ad Ecclesiæ ritus dogmataque illustranda, stabiliendam disciplinam, et mores informandos pertinent, jam vide quasnam animi virtutes extulerit.

(1) Cfr Alcuinus, *De divinis officiis*, ap. Hittorpium, *De div. catholicæ Eccles. offic. et myster.*, p. 226-298. Cfr Amalarius, *De ecclesiasticis offic.*, *ibid.*, p. 310-399.

(2) Cfr Martene, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*; — Dom de Vert, *Explication simple, littérale et historique des cérémonies de l'Eglise.*

(3) Cfr Lebrun, *Explication littérale, historique et dogmatique des prières et des cérémonies de la Messe.*

(4) Hild. *op.*, coll. 1116-19.

CAPUT III.

DE HILDEBERTO HAGIOGRAPHO.

ART. I. — DE VITA S. RADEGUNDIS.

Norunt omnes sanctorum vitas medio ævo permultum manibus populorum versatas fuisse (1). Vix fingi potest quam multa fuerint hujusce generis opera, tum metro cum pedestri sermone currentia. Qui ea scribebant, eo spectabant ut sanctis honor exhiberetur, credentium fides accresceret, legentiumque animi moribus informarentur (2). Non est dubium quin prædicti scriptores multum ad emendanda vitia, moresque excolendos contulerint.

Quod quidem opus alieno nonnunquam impulsu, videlicet potentissimi cujusque, aggrediebantur. Testatur Hildebertus se vitam S. Radegundis Semiani cujusdam carissimi consilio (3), iterumque vitam S. Hugonis, Pontio suadente (4), scribendam suscepis-

(1) Cfr Duméril, *Poésies populaires latines du moyen-âge*, p. 61, nota.

(2) Cfr *Vita S. Capitis*, ap. Mabillon, *Acta sanctor.*, 1i sæc., p. 614.—Hildebertus, *Præfat. ad vit. S. Radegundis*, col. 908.

(3) Hildeb., *Prologus ad vit. S. Radegundis*, coll. 885-886.

(4) *Ibid.*, *vita S. Hugonis*, col. 909.

se. Insuper fatetur se, ut priorem vitam describeret, Fortunati simul et Bandoniviæ scripta evolvisse (1); posteriorem post Ezelonem atque Gilonem, amplioris litteraturæ viros, tractasse (2);—ex utrisque ea rescidisse quæ lecta calumniam movere possent (3);—quod ad Hugonem attinet, ea addidisse « quæ vidit, quæ audivit, quibus testimonium perhibet, ideoque verum habendum esse testimonium (4) »

Male igitur credideris Hildebertum in conscribenda sanctorum vita levis præcipitisque judicii notam incurrisse.

Præterea virtutum, quas extollit, imagine lectorem delectat pariterque monet. Ut enim omittam summum illud pudicitiæ studium, insignemque vitæ austeritatem, quibus primum inter aulæ delicias, dein inter moniales, enituit sancta Radegundis, quis non miretur quanta diligentia sollicitudineque pauperum inopiam sustinuerit! Juvat memorare quæ misericordiæ opera tunc erogabantur.

Igitur consueverat, abjecto fastu regio, pauperum lavare capita, aquam manibus infundere, administrareque cibaria; perscrutari sollicite quo in loco infirmi decumberent, aliis vestes consuere, aliis largiora transmittere alimenta. Dominica Passionis, « expleto salutari officio, non prius ad Palatium revertebatur, quam pia curiositate circum circa

(1) HILDEB., *Prologus ad vit. S. Radegundis*, coll. 887-888.
(2) *Ibid.*, *vita S. Hugonis*, col. 911.
(3) *Ibid.*, *vita S. Radegundis*, coll. 887-888.
(4) *Vita S. Hugonis*, col. 911.

jacentes infirmos, paucis comitantibus, visitaret. Illa non temporis importunitatem causari noverat, non pluviis, aut nivibus detineri. Nullis omnino movebatur incommodis, dummodo commodis pauperum deserviret. Aliis regina, sed humilis, abluit capita, nonnullis balnea temperavit. Quibus aut nullus, aut durior lectus aderat, his apposito stramine vel plumis, mollior parabatur. Talibus diem claudebat studiis, sera nocte reditura (1). »

Atteiis (2) fœminarum instituit xenodochium, ubi ipsa pauperibus ministrare satagebat.

Accedebat tanta sacerdotum reverentia, ut nullum exactione regiæve licentia potestatis gravari, nullum inopem esse pateretur (3). Inde fiebat ut sacerdotes pauperesque pari complecteretur studio.

Haud minorem in ditandis ecclesiis operam impendebat. Diligenter enim providens ne ornamentis indigerent, luminaria, quæ propriis ipsa manibus recuperare ferebatur, singulis altaribus proferebat. Sæpe etiam contigit ut, aurata exuens indumenta, ea statim cujuslibet ecclesiæ cultui dedicaverit. Præterea si quid ei gemmarum accessisset, si quid cultus pretiosi, totum illud sacris altaribus, aut ecclesiasticis assignabat ornamentis. — Dicitur, cum templa subiret, solere, facta oratione, veste emundare parvimentum, et *facitergio* jacentem

(1) Hildebertus, *vita S. Radegundis*, col. 889-892.

(2) Athies en Vermandois.

(3) Hildebertus, col. 890.

circa sacraria pulverem reverenter excutere, evehens quidquid sordis aut pulveris habitantium incuria reliquisset (1).

Hæc satis declarant quantum ex Radegundis virtutibus emolumentum tum egentes cùm Ecclesiæ perceperint. Non enim sibi vixisse, coluisseque virtutem, sed aliis videtur. Quibus, cum reipsa non opitulâretur, exempla tamen, multum ad bene agendum conducentia, præbebat. Equidem non me fugit voluntarios S. Radegundis cruciatus, ut pote nimios, nonnunquam reprehendi; qua vero mente id agatur, prorsus non video. Non enim esse Christiani delicate ac molliter vivere, liberaliusque sibi indulgere videtur; nec facile perspicio quonam morum periculo voluntaria illa corporis afflictatio victusque tenuitas laudibus exornentur.

Ego vero satis mirari non possum illam fœminei animi firmitatem amplitudinemque voluptatum aculeos compescentis. Quid mirum si tantas, tamque præclaras virtutes Deus miraculorum dono insignire voluerit? quorum memoria ita apud posteros temporis decursu, et etiam nunc, viguit, ut populi, die B. M. V. Assumptionis, ad Ecclesiam sanctæ Radegundi in urbe Pictaviensi dicatam, undique confluant, ejus opem petituri (2).

(1) HILDEBERTUS, col. 889-894.

(2) Le jour de l'Assomption, on se rend en pélerinage à l'église de sainte Radegonde, à Poitiers.

En entrant dans l'église, à droite de la nef, on remarque

ART. II. — VITA S. HUGONIS.

Ex iis, quæ de S. Hugone refert Hildebertus, facile intelligitur quanta auctoritate, ob eximias quibus ille enituit virtutes, apud coævos valuerit. Si quidem eo usi sunt patrono juris, animique regendi ac moderandi magistro, tum reges et optimates, cum ordinis cujuscumque sacerdotes et laici. Præterea tyrannidem principum, qua incessanter adversus pauperes grassabantur, cum minus exhortatione proficeret, muneribus mitigabat (1). Ipsi enim in animo erat egentibus larga manu, omnique modo subvenire.

Quapropter ad ejus monasterium ingens quotidianaque episcoporum, abbatum, monachorum et clericorum, nobilium genere laicorum, optimatum et egentium copia confluebat. Præterea in tantum

dans le mur une sculpture qui rappelle un des faits rapportés par Hildebert : c'est l'apparition du Christ à sainte Radegonde, pour lui annoncer sa mort. L'empreinte du pied du Christ est restée sur le mur.

Sous le chœur, se trouve une chapelle dans laquelle est une statue en marbre de sainte Radegonde. Derrière cette statue est un brasier ardent dans lequel on jette de petits cierges et des figurines en plâtre. Une ouverture, pratiquée au-dessus du brasier, livre passage à la fumée. Les fidèles approchent de cette statue leurs malades, ou les objets de leur dévotion.

[Nous devons ces détails à M. Léon Tillard.]

(1) HILDEBERTUS, *Vita S. Hugonis*, col. 915.

sub S. Hugone aucta est Cluniacensis religio cœnobii, tantaque virtutum fuere præconia, ut, fratribus meritis numeroque in dies crescentibus, inde abbates desolatis quærerentur monasteriis, assumerenturque pariter et exempla sanctimoniæ et qualitas disciplinæ (1).

Post hæc, multis de S. Hugonis cura in lucrandis animabus, ædificandaque Cluniacensi ecclesia, memoratis (2), studet Hildebertus illa evolvere miracula (3), quæ ab eo patrata sunt, quæque minime, nisi vera genuinaque essent, falsitatis notam, ob recentem S. Hugonis vitam, effugissent. — Tum demum probat S. Hugonem multoties, inter insignia sanctimoniæ, prophetiæ gratia claruisse (4).

ART. III. — DE SANCTORUM VITIS METRICE DESCRIPTIS.

Hisce de sancta Radegunde, sanctoque Hugone dictis adde, ut ea expleantur quæ ad hagiographiam pertinent, Hildeberti versus de sancto Vincentio et sancta Agnete ; de Machabeis, beataque Maria Ægyptiaca.

Primum quidem poema scribitur versibus simili-

(1) HILDEBERTUS, *Vita S. Hugonis*, coll. 919-933.
(2) *Ibid.*, col. 935.
(3) *Ibid.*, col. 924 sqq.
(4) *Ibid.*, coll. 920-923, sqq. — Inter ea quæ refert Hildebertus hæc nota, quæ ad ipsum spectant : « Operæ pretium est ea apponere, quæ et auditu didicimus, et visu. Antecessor

ter desinentibus (1); secundum, versibus impariter junctis, atque undecim capitulorum distinctione dividitur. Utrumque actis Sanctorum prorsus consonat (2); ideoque, etsi ad liturgiam non pertinet, cultui tamen divino, aut saltem piis affectibus fovendis, accommodatum videtur, iisque annumerandum sanctorum vitis, metrice descriptis, quæ Epistolam inter et Evangelium in ecclesia legi poterant (3).

Quod ad poema de S. Vincentio attinet, Theobaldo ascribendum videtur (4).

Placet hist. liter. Scriptoribus Hildebertum ab

noster Hoellus, prædicandæ Præsul memoriæ, Romam proficiscens, gratia videndi sanctum Dei, Cluniacum divertit; qui post quam loquendi cum eo sortitus est facultatem, cum quodam suo archidiacono ad eum in parvam deductus est cameram, sacris dicatam colloquiis, et celebrem potius cultore, quam cultu. Cum autem convenissent filii adoptionis, et invicem beneficia suarum sibi communicarent orationum, B. Hugo frequentius præfatum intuitus archidiaconum: Tantum, inquit, ne desis gratiæ Dei, quoniam provisum est te in eo, in quo nunc administras ordine, nullatenus remansurum. Parum temporis fluxerat, et eventus est vaticinium subsecutus. Archidiaconus enim sequenti anno Pontificalem sortitus est dignitatem. » *Ibid.*, coll. 922-923.

(1) Versus similiter desinens dicitur, cum, tametsi casus non insunt, verbi tamen similes sunt exitus. Cfr Marbodi, *Liber de ornamentis verborum*, ap. Hildeberti *opera*, col. 1591.

(2) Cfr Ruinart, *acta S. S.*, 22 janv.; *acta S. S.*, ad 21 janv.; Rohrbacher, *Vies des Saints*, t. i, p. 176 179; p. 164-166.

(3) Cfr Duméril, *Poésies populaires latines du moyen-âge*, p. 62.

(4) *Hist. littér. de la France*, t. xi, p. 378.—Videre est apud

adolescentia carmen de S. Suzanna (1) composuisse. In quo quidem poemate pravi senes jam ab initio Suzannam, quam defendere nititur Daniel, impudicitiæ insimulant. Ex utraque parte oratio illepide provehitur abitque sæpe sæpius in illum verborum lusum qui tunc moris erat. Ita Daniel :

..... Sequuntur (Senes)
Utres seu ventres, dolia sive dolos...
Curant non aras, sed arcas; non vera, sed æra ;
Non æquum sed equos ; non inopes, sed opes.
Hærent sed vanis, sed vinis, sive venenis.
Quærunt vana, colunt vina, venena spuunt.
Libras, non libros relegunt; parentque monetis,
Non monitis ; pretio, non prece quemque juvant.
Non alleluya recitare, sed allia norunt:
Plus in Solmone quam Salomone legunt (2).

Memorare sufficiat versus de Machabæis, in quibus perparum de ipsis Machabæis disseritur, multa

Beaugendrianam editionem cujusdam epitaphium Theobaldi quem sic exornat Hildebertus :

« Electrum fidei, sermonum pictor, alumnus
« Pieridum , fluvius nectaris iste fuit....
« Scintillant vario quæ gessit scripta colore ,
« Ex ejus studio mellea verba fluunt....
« Pervius et liber stylus ejus ad omnia sculpsit,
« Pinxit, inauravit omne quod egit opus.... »
HILDEBERTI *opp.*, coll. 1322-1323.

(1) HILDEBERTI *opera*, coll. 1231 1236.
(2) *Ibid., versus de S. Suzanna* , coll. 1233-1234.

ficta, nec ab historia tantum sed et a verisimili rationeque abhorrent. Rem disce ex his morientis Alexandri dictis :

> ...... Scio quod me vita relinquit;
> Astra volunt Superi nostra virtute tueri;
> Me super astra ferunt, quia pro Jove ponere quærunt.
> Forsan ad incursus, et tela Typhæa recursus
> Jupiter expavit, qui me super astra vocavit... (1).

Vix perspicio quid de B. Mariæ Ægyptiacæ vita referam. Quæ quidem Actis sanctorum iterum consonat. Acta vero sanctorum, ut pote pressa et candida, Hildeberti versibus longe præstare videntur.

Ut igitur multa paucis complectar, plurimum hoc interest inter illas sanctorum vitas, quas descripsit Hildebertus : aliæ enim, nempe versibus currentes, acta ipsa referunt; aliæ vero, pedestri scilicet sermone conscriptæ, eo præcipue spectant ut perspicuum fiat quales quantosque viros christianæ effingant virtutes.

His vero de nonnullis Hildeberti poematibus jam disputatis, ad ejus poesim recognoscendam accedamus.

(1) Hildeberti *opera*, *col.* 1235.

CAPUT IV.

DE HILDEBERTI POEMATIBUS.

ART. I. — DE HILDEBERTINA POESI.

Plerique Hildeberti coævorum poeticas ejus dotes summis extollunt laudibus. Ordericum Vitalem audiamus: « Hic sacer heros (Hildebertus) tam divinarum quam sæcularium eruditione litterarum studiosus, temporibus nostris *incomparabilis versificator* floruit, et multa carmina priscis poematibus æqualia, vel eminentia condidit, quæ fervidus calor philosophorum rimari appetit, ac super aurum et topazion consciscere diligenter appetit. A Romanis cardinalibus, qui frequenter Gallias appetunt... plurima Hildeberti carmina Romam transferuntur, quæ dicacium Scholis, et Didascalis Quiritum admiranda censentur (1). »

Hæc et alia, quæ apud Beaugendre reperire est (2), cum ipsis Hildeberti poematibus conferas; tum ea, nonnisi parumper emendata, accipienda

(1) *Historiæ ecclesiasticæ*, l. X.

(2) Cfr *Præclara de Hildeberto testimonia*, ap. BEAUGENDRE, p. LXII-LXV.

noveris. Equidem non iveris inficias Hildeberti poemata apud medii ævi scholas, ubi ad imitandum proponebantur, multum diuque versata fuisse, eademque facili et eleganti metro nonnunquam currere. Male vero exinde inferes Hildebertum *carmina priscis poematibus æqualia* condidisse.

Præterea in Hildeberti carminibus multa offendunt, quæ cæterum poetæ tunc parum curabant, juxta illa Milonis et Odonis (1):

Posthabui leges, ferulas et munia metri,
Non puto grande scelus, si syllaba longa brevisque
Altera in alterius dubia statione locetur.
Quod si, ut credo, nequit carmen jam jure vocari,
Sit satis huic saltem conferri nomina rhythmi.

Et iterum Odo asserit se didicisse

Quot versus currat pedibus; quid barbarus error,
Quid solœcismus peccet, quantumque poetis
Indulsit veniæ c[æ]esuræ larga potestas (2).

Ipse Hildebertus leges, ferulas et munia metri in plerisque, solœcismos etiam et barbarismos nonnunquam posthabuisse videtur, usurpasseque illas versuum formas, quas memorat Marbodus in illo, qui de *Ornamentis* verborum inscribitur, libello (3).

(1) Ap. Ed. Duméril, *Poésies latines du moyen-âge*, p. 11.
(2) Ap. Hildeberti *opera*, coll. 1587-1596.
Ap. Beaugendre, coll. 1587-1596.

Adde quod non videtur Hildebertus omnia illa, quæ edidit Beaugendre, poemata composuisse. Constat alia, nempe librum de S. Eucharistia Petro Pictori (1); carmina de Operibus sex dierum (2), de Ordine et Ornatu mundi (3), Physiologumque, Thibaldo (4); alia aliis ascribenda esse; ideoque poemata illa prætermittenda duximus.

Longum vero esset et molestum singula recognoscere carmina quæ, ex omnium judicio, scripsit Hildebertus. Omittam igitur carmen incomptum in Libros Regum (5); moralem locorum Scripturæ Applicationem (6), in qua sæpe sæpius ad mysticos sensus inclinat Hildebertus, versus etiam de S. Crucis inventione (7). Paulisper vero immorandum li-

(1) *Hist. littér.*, t. XI, p. 371.

(2) *Ibid.*, t. XI, p. 373.

(3) *Ibid.*, t. XI, p. 374.

(4) Physiologus ipso Thibaldi nomine inscribitur. Sic enim explicit:

« Carmine finito, sit laus et gloria Christo,
« Cui si non alii placeant hæc metra Thibaldi. »

Insuper tria poemata tanta inter se cognatione continentur, ut unum eumdemque scriptorem ex iis facile intelligas. *Hist. littér.*, t. XI, p. 373-374. Cfr HIPPEAU, *Le Bestiaire divin*, Introduct., dans les *Mém. de la Soc. des Antiq. de Normandie*, t. IX (2e série), p. 327-328.

(5) HILDEBERTI *opp.*, coll. 1191-1212. Notandum libros Regum Machabæorumque in vulgarem linguam haud multo post Hildebertum fuisse translatos. V. AMPÈRE, *Hist. littér. de la France*, t. III, p. 439.

(6) HILDEBERTI *opp.*, coll. 1212-1232.

(7) *Ibid.*, coll. 1255-1262.

bello qui *floridus Aspectus* inscribitur, quemque præsuli cuidam, Willelmo, ut putatur, Wincestrensi episcopo, scripsit Hildebertus (1). Quippe qui rogatus ut carmina uno concluderet volumine, præsens opusculum, ex diversa conflatum materia, deferendum ad prædictum præsulem curasse videtur. Quod quanti æstimaret, ex his inferas :

Licet libellum istum nulla rhythmorum commendet jucunditas, pluribus tamen in locis (salva authoris humilitate) sententiarum pondera, et verborum insignia poteris invenire.... Dignus, sane, titulus qui præponitur, sed dignior pagina quæ subsequitur, quæ et in nonnullis sententiarum majestate scintillat, et in quibusdam sermonis aurei fulgore resplendet et rutilat (2).

Miraris sane virum omnia sua nimis amantem. Jam vero quænam fuerint sententiæ illæ *majestate scintillantes*; quisnam *sermo ille aureus fulgore resplendens et rutilans*, facile intelliges ex ipsis Hildeberti carminibus. In plerisque enim, ut tempori morem gereret, similitudinem pessimi cujusque concupivit; nempe corruptum et omnibus vitiis fractum versificandi genus, translucidamque et versicolorem poesim usurpavit; illa, quæ curam faterentur, et ficta atque composita videri vellent, consectatus est; quod uno verbo patet, pluribus oneravit, rerumque pondera minutissimis fregit sententiis. In-

(1) BEAUGENDRE, coll. 1309-1310.

(2) HILDEBERTI *opp.*, Prologus, coll. 1310 1312.

de accidit, ut, proxima virtutibus vitia comprehendens, sæpissime factus fuerit pro grandi tumidus, læto corruptus, composito exsultans, simplici negligens. Hujusce modi vitia facile deprehendes in iis quæ scripsit de Nativitate Christi; de partu Virgineo; de venditione Joseph; de Job, Noe et Daniele; de tribus donis Magorum; de tribus hominis mansionibus; de quatuor Evangelistis (1). Ea vero tantummodo referam quæ rem summatim illustrent.

De Baptismo Christi.

Roratur	Clamat	Sacratur	Adest	Solidatur
Salvator;	Genitor;	unda;	Columba;	fides.

De Judicio Christi,

Judex,	cælum,	stix,	discernet,	nutriet,	uret
Facta,	bonos,	reprobos,	jure,	quiete,	foco (2).

Nullatenus vero floridum Hildeberti *Aspectum* ex his recte æstimaveris. Sunt enim in eo, præter ea quæ allata sunt, eprigrammata, prosæ, variaque de variis carmina, eaque nonnunquam probanda. Pauca de singulis attingam.

Norunt omnes epigrammata non ea fuisse tunc temporis quæ sepulchro utique inscriberentur, sed quæ stylo exercendo, defunctique laudibus prolixius enarrandis inservirent. Ita, ut cætera prætermittam, de epigrammatibus Roberti de Arbrissel,

(1) *Ibid.*, Floridus Aspectus, coll. 1311-1318.
(2) *Ibid.*, col. 1318-1319.

Petri Pictaviensis episcopi, Magistri Theobaldi, Berengariique sentiendum puto. Jam antea dictum est de Berengarii epitaphio, in quo multa sane poetica laude spectanda sunt; quis iterum hæc, e Roberti epigrammate excerpta, non probaret :

Hujus erat solidare fidem, mentique mederi,
Virtuti stimulos addere, spemque reis ;
Exstirpare scelus, non exstirpare scelestos,
Et Christum membris conciliare caput (1).

Etsi vero multa, ut jam dixi, in his epigrammatibus laudanda sunt, desunt iterum nonnunquam in versificando judicium et modus.

Eadem omnino vitia, easdemque virtutes in iis reperias versibus quæ *Prosæ* inscribuntur. Duæ ab Hildeberto scriptæ proferuntur. Quarum altera in laudem Spiritus Sancti ; altera in Natale Domini. Utraque syllabis consonantibus desinit, orthodoxamque fidem redolet (2). Versus de S. Trinitate, quinquaginta sex numero (3), in eo præcipue spectandi videntur, quod in eamdem vocem, scilicet *esse*, vel in eamdem syllabam, nempe *se*, exeunt. Adde carmina de Pictaviensi ecclesia civitateque,

(1) Hildeberti *opp.*, col. 1320. - - Si quis forte miretur quas Roberti impertitur laudes Hildebertus, conferat de Petigny, *Robert d'Arbrissel et Geoffroi de Vendôme*, dans la Biblioth. de l'Ec. des Chartes. t. v (3ᵉ série), p. 1-30.

(2) Hildeberti *opp.*, coll. 1337-1343.

(3) *Ibid.*, coll. 1343-1344.

de Roma, Bajocensique quodam episc., videlicet Odone (1); acerrimas in simoniacos, atque ut tunc moris erat, in mulieres objurgationes (2). In quibus etsi multa iterum offendunt, Hildeberto tamen hanc dabis veniam, nempe quod exsilii molestias carminibus, tum a se ipso cum ab aliis compositis, fefellit. Quod ipse testatur, inter laudandum virginem quamdam versu peritissimam :

Carmina missa mihi decies spectata revolvens...
Parcius exsilii triste recordor onus (3).

At majorem profecto delectationem ex Hildeberti carminibus de *Nummo Mahumeteque*, necnon ex ejusdem *Fabulis* capies.

(1) Annulus hic nuper mœrebat clausus in arca,
Obscurusque lapis et quasi tristis erat.
At postquam dixi : Bajocas ibis, erisque
Majoris digitum Præsulis orbe ligans,
Lætior explicuit radios, sparsitque serenas
Gemma faces, oculis exhilarata tuis.
Hoc ex te Domino pretium lucratur, adestque
Plus lapidi Præsul, quam lapis ipse sibi.
Ibid., col. 1333.

(2) *Ibid.*, coll. 1353-1366. — Cfr *Libell. metric. de calliditate malarum mulierum*, ap. OTTO, *Commentarii critici in cod. Bibl. acad. Gissensis*, p. 151-165. Quæ quidem objurgationes valde discrepant ab iis laudibus, quibus tunc poetæ, lingua utentes vulgari, mulieres ornabant.

(3) *Ibid.*, col. 1368.

Art. ii. — De nummo seu satyra adversus avaritiam.

Hujusce carminis initium usque ad v. 200, e codice *Elnonensi* olim, postea *Parisino regio*, nº 274 (1), qui mutilus ac vehementer interpolatus a quodam monacho videtur (2), edidit Beaugendre (3). Integrum vero carmen, quale e codicibus Marburgensi, Bruxellensi, Lipsiensique, inter se multa cura collatis (4), apud Otto legitur (5), circiter *mille ducentis* versibus magnam partem leoninis constat.

De genuino ejus auctore doctissime indagatur Otto, et hæc summa investigationum.

In Elnonensi scilicet codice carmen illud inscribitur: « *Versus Cynomansis episcopi de Nummo S. Satyra adversus avaritiam* »; quocum inscriptio cod. *Oxoniensis* fere convenit, *Hildeberti episcopi Cenomanensis carmen de Nummo.*

In Lipsiensi cod. Mamucio cuidam sive Mauritio tribuitur. Quis autem ille sive Mamucius sive Mauritius fuerit, ignoratur.

In Marburgensi cod. denique ac Bruxellensi sæc. xii, quæ ætas non multum ab auctoris ipsius ætate videtur abesse, nulla prorsus inscriptio exstat. — Neque in carmine ipso auctor quidquam de se

(1) Otto, *Commentarii crit. in cod. Bibl. acad. Giss.*, p. 100.
(2) Otto, *ibid.*, p. 105.
(3) Hildeberti *opp.*, coll. 1329-1332.
(4) Otto, *ibid.*, p. 108.
(5) *Ibid.*, 163-198.

ipso prodidit, nisi quod et orationis vitia et quantitatis, ad sententiæ permultæ christianum cum poetam medii ævi sæculi fere XII fuisse produnt.

« Quæ cum ita sint, valde difficile est dicere, *a quo poeta christiano medii ævi hoc carmen sit profectum*. *Hildeberti* illud esse propterea non admodum improbabile est, quod et orationi ejus convenit et idem quum multis aliis in carminibus, tum imprimis in eo, quod est *De exilio suo*, *avaritiam* atque *invidiam* perstringit, quæ fere summa nostri quoque carminis est (1). »

Quare probabile admodum, minime vero certum est *Satyram de Nummo* Hildeberto tribuendam esse.

Multa iterum de fonte hujus carminis, quale illud ipse edidit, præcipueque eorum, quæ de Orpheo sunt, disserit Otto. Statuisse vero sibi videtur carmen illud ex multorum auctorum scriniis compilatum esse, imprimis ex Lucani *Orpheo* deperdito, ut putatur, et ex *Isidori* Etymologiis, *Vincentii Bellovacensis* speculo naturali et *Bœthii* libro de Musica, additis versibus Virgilii, Persii, Juvenalis et Horatii (2). Quod de Hildeberto minime mirandum est, cum, ut probabitur (3), latinos poetas apprime calleret.

Quidquid id est, prædictum carmen in tres partes dividi potest. Quarum prima (v. 1-490) de avaritia

(1) *Ibid.*, p. 101.
(2) *Ibid.*, p. 105-108.
(3) V. infra *De Honesto et Utili*, c. VII.

atque invidia, quæ sæculi vitia nuncupantur, agit. Quæ vero, similitudine ex variis animantibus ducta, ad invidiam spectant, quæque prosequuntur, ea nunc primum in lucem prodeunt. — Pars secunda aliis longe præstat. In ea siquidem inducitur Orpheus Eurydicen Manibus erepturus, ac primum

Musæ demulcens omnia blandiciis (1).

Tunc vero, tota fere conveniente natura, occasionem nactus est poeta, quantum ætas ferebat, animalium, plantarum, siderumque quasi indicem et descriptionem conficiendi (498-805). — In extrema denique parte, nempe a versu 805 usque ad finem carminis, *virtutis vitiorumque* vim describendam suscepit poeta. In qua plurima trita videntur. Quæ vero in secunda parte memorantur, ea spectanda sunt (2).

Art. III. — De Mahumete.

Autumat Beaugendre carmen Hildeberti de Mahumete minime historiam sapere, mere poeticam vero narrationem esse, ad exercitationem quasi academicam, in odium Mahumeticæ sectæ confictam excogitatamque (3). Quare notat illum auctoris

(1) *De Nummo*, v. 504.
(2) Cfr *infra*, art. v.
(3) Beaugendre, coll. 1277-1278.

anachronismum, quo refertur Mahumetis sectam, et insignis hypocritæ, Sergii scilicet apostatæ, ut putatur (1), ab Ecclesia defectionem, circa Theodosii et Ambrosii tempora incidisse, notat insuper vituli fabulam, in cavea secrete enutriti, deinde, tauro facto et furibundo, a Mahumete, quo rei fieret, edocti (2).

Equidem his assentimur ; miramur vero Beaugendre prætermittere videri connexionem Hildebertini poematis ad ea quæ jam de Mahumete excogitata fuerant.

Porro duplex hujusce modi scriptorum genus. Alii, nempe apud Orientales, mirandorum studiosissimi, prodigia auxerant, ut, potentia Mahumetis sanctitateque mirum in modum elucentibus, majori observantia coleretur (3).

Alii vero, iique apud Occidentales, rem alio animo aggressi, conati sunt Mahumetem, quem etiam Mahumet (4) vocant et Machometem (5), in contemptionem adducere, sectæque ab eo institutæ stultitiam et turpitudinem detegere (6). Ideo

(1) Dicitur alias Bohaira. Cfr Ed. Duméril, *Poésies populaires latines du moyen-âge*. Légende de Mahomet, p. 380.

(2) Beaugendre, coll. 1277-1278.

(3) Ed. Duméril, *ubi sup.*, p. 368-373.

(4) Petri Venerabilis, *De Translat. Alcoran.*, epist., ap. *Maxima Bibl. Veter. Patrum*, t. xxii, p. 1030.

(5) Vincentius Bellovacensis, ap. Duméril, *ubi sup.*, p. 379.

(6) Reinaud et Francisque Michel, *Roman de Mahomet*, par Al. du Pont, *Préface*, p. vii.

tum illas legendas (1) in unum collegerunt et sparserunt, quæ eum exhibebant Magum, dissolutum, boum raptorem, nefariæ fautorem hæreseos, necnon Antichristum (2); tum etiam Alcoranum ipsum in disceptationes medias producentes expugnantesque, veritatem christianæ religionis contra Muhammedos asserendam curaverunt (3).

Jam ab ineunte septimo sæculo, postquam Moslemi Syriam, Ægyptum et Africam invasere, cumque multi a christiana fide averterentur, non defuerant in Oriente qui religionem, a Christo conditam, invicte propugnarent. Postea etiam, Hispania, sæculo VIII, ab iisdem Moslemis occupata, multi Mahumetis sectam oppugnarunt. Hos inter merito prædicatur Petrus Alphonsius qui, sæculo XI, a Judaismo ad christianam fidem addictus est. Sæculo vero XII, cum jam, ut habet Petrus Venerabilis, « lethali Mahumeticæ hæreseos peste dimidius pene orbis infectus agnosceretur, » undique concurrerunt doctissimi inter Christianos viri, ut prædictam hæresim scriptis atque disputationibus profligarent. Ii morem illum SS. Patrum sequi intendebant, qui nullum unquam suorum tempo-

(1) Hæc nota Petri Venerabilis : « ..... Feci insuper et quasdam ejus fabulas, cum quodam Abdia, Judæo, et aliis Judæis habitas, transferri ; quæ inauditis deliramentis, et velut somniorum phantasiis super universa ipsius scripta nefanda sectam etiam pecoribus ostentui faciunt. » Epist., l. IV, 17, p. 919.

(2) Ed. Duméril, *Ibid.*, p. 374-375.

(3) Reinaud et Fr. Michel, *ubi sup.*, p. VII.

sum, vel levissimum errorem silendo præterierunt, quin ei « totis fidei viribus resisterent (1), » grassantemque confutarent.

Quare ipse Petrus Venerabilis, cum in Hispanis moraretur, viros, utriusque linguæ latinæ et arabicæ peritos, multo conduxit pretio, « qui transferrent ex Arabico ad Latinitatem « vitam nefarii hominis (Mahumet), ac legem, quam Alcoran, id est collectaneum præceptorum, appellaverat, sibique ab Angelo Gabriele de cœlo allatam miserrimis hominibus persuaserat (2). » Curavit insuper, ut jam notatum est, quasdam ejus fabulas verti; ac demum idem ille Petrus S. Bernardum hortatus est ut, ad confutandum errorem, quem vocat « universarum hæreseon facem, » studium et ingenium, illamque, quam a Deo singulariter acceperat, eloquentiæ magnificentiam, conferret (3). Quod quidem munus suscepisse non videtur S. Bernardus. Nihilominus stultitiam mahumeticæ sectæ et turpitudinem detegendas, ex Alcorani præceptis ipsiusque Ma-

(1) Petrus Venerabilis, ap. *Max. Biblioth. Patrum*, t. xxii, p. 1031.

(2) *Ibid.*, t. xxii, p. 1031. Hæc addit : « Nec ignoro quidem, quoniam scriptura ista, quæ perditis illis in propria lingua prodesse non potuit, in latinam versa, minus proderit. Sed proderit fortassis aliquibus Latinis, quos et de ignotis instruet, et quam damnabilis sit hæresis, quæ ad aures eorum pervenerat, impugnando et expugnando ostendet. » *Ibid.*, epist., l. IV, p. 919.

(3) Ap. *Max. Bibl. Patrum*, t. xxii, p. 1031.

humetis vita, tunc temporis intendebant plerique religionis christianæ vindices. Nec Hildeberti alia mens videtur. Operam enim dedit colligendis nonnullis, quæ ad Mahumetem spectabant, legendis, versibusque includendis (1).

Cujus quidem poematis in ordo et dispositio. Præmissa inferni descriptione, unumquemque manentis sese a Christo avertentem, præsertimque gentem illam quæ, posthabitis Paganorum erroribus, Mahumeti adhæret, Hildebertus explicat artes Magi cujusdam ruinam Ecclesiæ animo volventis, ideoque blandientis populo ut, simulata duriori vita, sanctus haberetur. Quem supponit Hildebertus, post obitum Hierosolymitani episcopi, pontificatum affectantem, ita sibi plebis gratiam fraude conciliasse, ut a Theodosio (2) pontifex efflagitatus fuerit.

Jamjam voti Magus compos erat, cum, exauditis ululatibus non humanis, qui dæmoniorum turbam, Magi sociam, denuntiabant, stupenteque plebe, longius ire jussus est. Inde minarum spirans, Lybiam adiit, memorique vulnus servans sub pectore ædem ingressus est hujusce regionis consulis, quem, simpliciori vita simulatisque virtutibus, decepit.

Cui consuli servus erat, Mamutius nomine, do-

(1) Ampère, *Hist. de la littér. de la France avant le* XII*e siècle*, t. III, p. 440.

(2) Is anachronismus de quo jam diximus.

mini rebus invigilans. Quo mox familiariter usus est Magus; cumque eum expertus esset aptum proposito perficiendo, non libertatem tantum, sed et consulatum ei promisit. Interea immeritum Mamutii dominum nocte, nulloque conscio, arte mala interemit Magus. Inde omnes mortuum prosequi lacrymis, ipseque os in mœstitiam flectere:

Quare nullus eum credidit esse reum.

Haud cunctanter cœptis insistens, consulis uxorem induxit Magus ut cum Mamutio, libertate donata, conjugium iniret.

Quo facto, Mamutius, beneficii memor, Magum adiit, petita placitaque largiturus. At ille jussit vitulum, haud ablactatum, sed modo natum, in spelunca, quæ esset cæca, ullo impervia, vicina infernis, solisque dæmoniis habilis, nullo teste claudendum, in eaque ab utroque tantum pavendum. Taurus ille mirum in modum crevit, multum profuturus Mago, ut consilia, ipsi Mamutio ignota, perficeret.

Interea rex Libyæ, pacis, justitiæ, atque Ecclesiæ columen, bonis omnibus, servis et dominis, christicolis cleroque flebilis occidit.

Cum autem inter Libyæ proceres de eligendo rege multis jurgiis ageretur, Magus Mamutio suasit ut cœtum adiret, efficeretque ut ipse in concilium adhiberetur. Sedata igitur concione, auctoreque Mamutio, missi sunt proceres qui Magum ad cœtum rogarent. Ille iterum atque iterum abnuere, postea

tamen flecti ; phaleratum vero equum rejicere, ut qui binis pedibus, aut, more Christi, asino, qui adducitur, uti vellet.

Interea curaverat taurum e cavea educi, frontemque aureo titulo præcingi. Qui, ut insolitum lumen aspexit, exsiliens mugiit ; fertur etiam per agros stragem, terroremque injiciens.

Aliunde Magus ingreditur cœtum, vultu habituque humilis, et alia permulta simulans. Tum rogatus sententiam aperire, hunc denunciat a Deo regem eligi qui taurum jugo junxerit indomitum.

Unde multi senes inter et juvenes tauro, etsi omnes formidine complet, spe vero imperii, obviam ire. Prosilit quidam igitur juvenis. Nec mora : in hunc rapitur taurus, occisumque lacerat. Obstupuere omnes.

Attamen ut taurus aspexit Mamutium, Magi socium, illum adit; ore lambit manus, impositumque cervici jugum sustinet. Accedunt ipsi proceres, et lecto carmine, quod tauri cornua retinent :

Hunc Deus elegit, cui me servire coegit,
Sic ego missus ei sum pietate Dei,

Mamutium regem declarant.

A quo has petit Magus beneficii vices, nempe ut lex Evangelii gravior tollatur ; et, quidquid libet, hoc statuatur licitum. Annuit Mamutius, plaudente plebe ; suppliciaque iis minatur qui novum rerum ordinem revereri noluerint. Tum per Africam ef-

frenata ruit voluptas ; cui, cum plurimi obsistere conarentur, subiere martyrium.

Propterea manebat Mamutium vindex via Dei. Incidit in epilepsiam, quod vehementer doluit Magus, spe delapsus quam animo conceperat. Attamen, ne Mamutius aura populari dejiceretur, rem sic ficte et fallaciter exponendam curavit Magus : scilicet, Mamutium, quoties caderet, in cœlum raptum iri, divinoque colloquio fruentem, delicias Deo condignas, habiturum ; inde Superis placita delaturum esse.

Quod, uti fuerat doctus, congregata plebe, mentitus est Mamutius, hæc addens : se ipsum a Deo electum, qui errantes populos ideoque pereuntes, viam rectam doceret ; se Omnipotentis imperii esse participem ; consimiles sibi meritis gloriæ consortes effecturum ; pollutis vero hanc primam salutis statuere viam, ut aqua lavent peccata, quaterque hæc replicent :

Quidquid deliqui, Mahomet, purgator iniqui,
Dilue, sacratam deprecor hanc per aquam;

ac demum accurate retinenda quæ docuit.

Talia mentitus, homines irretiit corruptelarum illecebris. Jam vero dolus invaluerat, cum debitas sceleri morte luit pœnas. Quadam enim die, Mahumet, ad auroram, nullo comitante, egressum, novasque fraudes molientem, subita et vehemens corripuit epilepsia, qua misere periit, ut pote qui obtorpens a porco laceratus fuerit.

Cui, præter solitum protrahenti reditum, occurrit Magus. Quem vero ut vidit in media jacentem via, prædamque porcinæ voraginis factum, doluit vehementer. Postea tamen, corpore in cubili collocato, summaque expensa peruncto, fraudem novam molitur, qua congregatos regales famulos et populos decipiat. Prædicat igitur hacce die Libyæ regem in cœlum raptum fuisse, indeque plebem amice recturum; minime permovendas mentes ex eo quod Mamutius membra porcis rodenda dedit, siquidem voluit significare carnem vile quid esse et fragile ; carne vero dissoluta, vitam alteram et præstantiorem incipere, in qua Mahumet, jussis parentes sublimaturus est ; præcavendum vero quam maxime ne quis sese in posterum porcina carne polluat.

Quibus dictis, Magus, ne quid fraudi deesset, fanum exstruxit auro et marmore conspicuum, signatumque hoc carmine :

Hic bene quod petitur per Mahumet dabitur.

Fano in medio pendere videbatur Mahumet *tumba* (sic), tanta arte ordinata, ut populi, pendiculum minime suspicantes, rem fieri Mahumet potentia arbitrarentur, atque ideo eum colerent.

Ea Hildebertina de Mahumete fabula, in qua triplicis generis facta occurrunt. Alia, ut Mahumetis epilepsia, historica fide comprobantur (1).

(1) Ed. Duméril, *ubi sup.*, p. 391-392. « Constare videtur Mahumetem jam a pueritia sontico morbo laborasse. » *Ibid.* Note.

Alia, partes scilicet quas sustinet, Magus, partim ascribi posse videntur Sergio cuidam, Armeno, pseudo-monacho, suique ordinis apostatæ (1), qui alias dicitur Bohaïra, Bahira, Bahayra (2). — Alia demum sunt mere commentitia, nempe ea quæ referuntur de arte quam adhibuit Sergius ut Mamutius viduam domini uxorem duceret; de Mamutio consule facto; de tauro, quo domito, Libyæ regnum obtinuit; de pacto quod Mamutium inter et Magum intercessit ut christiana religio subverteretur; de fato quo obiit; de ejus sepulchro magnetis vi in aere pendulo (3).

Ex his intelligere est Hildebertinum poema non multum quidem valere ad Alcoranum refellendum; auctorem vero hoc præcipue animo agitasse ut Mahumetis fraudes et fallacias patefaceret.

Eodem, eademque ferme via, fictis scilicet ejusdem generis, spectare videtur aliud de Mahumete poema, sæculo duodecimo accuratius a quodam Walterio scriptum, editumque a Duméril. In eo poemate, Machometes non quidem consul ex-

(1) Cfr Beaugendre ad Hildeberti *opp.*, col. 1279. De eo sic habet : « Qui, cum esset Arianorum et Nestorianorum erroribus infectus, impio Mahumeti, suam tunc sectam instituere meditanti, ita tenaciter adhæserat, ut illo nequissimus ille pseudo-propheta ad Alcoranum suum concinnandum usus fuerit. » *Ibid.*

(2) Cfr Duméril, *ubi supr.*, p. 380.

(3) V. sur le tombeau suspendu de Mahomet, Bayle, *Dict. hist. et crit.*, t. v, p. 40, note. Edit. 1734.

hibetur, sed christianam legem, multasque præclaras artes a puero edoctus, servus tamen cujusdam Nobilis, cujus rem auxit industria.

Ex altera parte, vir ille, qui apud Hildebertum Sergii partes sustinet, in montibus, nullo comite, conversans inducitur. Quem, futuris prænoscendis divinitus aptum, die quadam adiit Machometes, sanctitatis fama, ut alii, adductus.

Quo viso, Sanctus, admoto lumine mentis,
Intus possessum dæmone novit eum.

Et cruce se signans Machometem jamjam expulsurus erat. Cui tamen roganti ea futuri reserat Sanctus abdita, quæ mala mente acturus erat, christianam legem, moresque impugnando.

Haud multo post, Machometis dominus, nulla vi allata, sine prole, vita functus est. Cujus vidua, anno vix elapso, de matrimonio iterum ineundo cogitans, Machometem consuluit. Ille annuens, dominam callida ratione ad hoc credendum inducit ut ipse in matrimonium præ omnibus ducatur. At vidua animo pendet, timetque ne servo nupta omnium irrisione tacite ludatur. Quo audito, Machometes adit proceres, et præmiis pollicitationibusque eis persuadet ut apud viduam agant, ipseque in libertatem vindicatus conjux ab ea eligatur. Quod reipsa multo cœnæ nuptialis apparatu factum est.

At inter convivandum, occupat Machometem epilepsia. Inde omnes stupent, flentque. Ipsa Macho-

metis conjux thalamum ingressa, clausoque ostio, luctus ingeminat.

Interea Machomes, resumpto animo, dominam, vix solaminis patientem, decipere molitur, atque ideo mentitur se cœlestis arcani conscium fieri, divinæ vero virtuti, Gabrieli superveniente, sustinendæ imparem, tum concidere, spumare, tremere, minime pati, imo lætari. Item aperit, quæ stabilienda, Christi lege sublata, se accepisse mentitur, testemque verborum Sanctum adhibet. Quem etiam quam primum de rebus gestis atque in posterum gerendis, facit certiorem Machomes.

Adverte vero quantum inter se ea de re differant Hildeberti Walteriique ficta. Etenim ex Hildeberto, Sergius, in officiorum remunerationem, christianæ religionis eversionem a Mamutio petierat; ex Walterio, pollicetur Machomes, Christicolis aliis destructis, Sanctum, discipulosque, modo apud dominam mentita confirmet, fore superstites.

Promittitur. Altera igitur die, adstante domina, ea, quæ fuerat edoctus a Machomete, refert Sanctus.

Illa sic decepta jam Machometem veneratur. Jubetur, Angelo superveniente, et donec inter Superos esset, jacentem pretiosis vestibus tegere. Quæ Sergio, ex Hildeberto, fuerat cura.

Illud iterum discrimen notare decet. Vitulum in cavea, auctore Sergio, abscondendum atque edocendum curaverat Mamutius. Quod Machomes ipse sua sponte perficit.

Præterea narratur Machometis uxor, inter solem-

nia, ad quæ tota fere gens convenerat, ipsa commisisse muliebri conventui quæ celanda sibi crediderat Machomes. Serpsit hinc rumor; miranda de Machomete referuntur. Unde ipse vocatus, de se dicturus, rem aperte confessus est. Insuper locus instituitur in quem conveniant proceres, divinam voluntatem e Machometis ore accepturi.

Populum igitur, indicta die, coegit in montem, quem, melle lacteque reconditis, necnon tauro juxta gracili fune ligato, ita consiliis accommodaverat, ut ipsi, ad instar Moysis, miranda quædam assentari viderentur. Hæc a Walterio memorantur.

Cum igitur inter sermocinandum de immutandis legibus, nonnullos in dubium verba revocare intelligeret Machomes,

> Sic ait : a Domino devote signa petamus
> Quæ valeant servos certificare suos.

Prece peracta, fossas, lacte ac melle plenas, quas ipse latenter disposuerat, jussit quasi per divinam revelationem, hoc et illo loco peragrato, effodi. Mel et lac hinc et inde fluunt. Quod, ut signum abundantiæ cuique lege nova impertiendæ, exhibuit.

> Tum Machomes, lacrymis ficta pietate profusis,
> Atque diu tonso pectore sic loquitur :
> Ecce videtis, ait, quanta dulcedine mundum
> Et mundi leges conditor orbis agat;
> Melle figuratur quod legis amara recedant,
> Lacte quod ut genitos nos alat ipse suos.

Nec ea sola fraus. Cum enim clamorem edidisset Machomes, taurus, statim ut domini vocem agnovit, ruptis vinculis, obviam se præcipitem dedit, et quasi legis novæ mandata, cœlitus demissa, quæ Machomes ipse cornibus ejus alligaverat, pedibus stratus detulit.

Quod iterum mirantur omnes; ipseque præ cæteris doli inventor. Cujus exinde mandatis, ut pote e cœlo delatis, assensum præbuerunt. Ut autem dolum perficeret Machomes, taurum, jam in posterum minime videndum, eadem qua ante cavea reclusit, dictitatque illum ad Superos rediise.

Subsequitur aliud Walterii fictum quod ab Hildeberto prætermittitur. Prior enim belli meminit quod, repugnante Machomete, gens Idumæa Persis intulisse dicitur. Igitur cum res mala se haberet, dimissus ab exercitu, qui senum, mulierum et puerorum gereret curam, divitias sibi commissas in templo condidit. Quos ut adiit, significans iterum bellum, adversante Deo, esse susceptum, ideoque secus cecidisse, defunctos lacrymis prosequentes ad templum, in quo absconditæ fuerant divitiæ, deduxit; et, postquam introitum, quem ignorare se mentiebatur, munere quasi divino reperiit, divitias singulis, prout cujusque erant, distribuit.

Mortem, qua Machomes obiit, tacet Walterius; at cum Hildeberto de ejus tumulo consentit.

Utrumque illud poema, sæculo duodecimo compositum, conferendum duximus, ut quasi in unum colligerentur ea quæ de Mahumete tunc temporis

scripta sunt. Quibus nonnulla, ut videre est apud Vincentium Bellovacensem et Petrum a Ponte, sæculo sequenti, aut addita aut immutata sunt.

Art. iv. — De hildeberti fabulis.

Superest ut dicam de fabulis quas versibus impariter junctis scripsisse narratur. Quædam vero præmittenda.

Nemo nescit pueros olim, rhetorem nondum capientes, solitos primum condiscere Æsopi fabellas narrare sermone puro; mox versus solvere, mutatisque verbis interpretari; tum paraphrasi audacius vertere, breviare quædam et exornare (1). Postea, præsertimque medio ævo, prodiere fabellarum libelli soluto sermone, *Romulique* nomine utique inscripti. Equidem quisnam fuerit ille Romulus, vel, ut ferunt mss., Romalius (2), quove tempore floruerit, minime constat. Nomen ipsum confictum videtur, plurimos etiam prodit indicatque scriptores. Ii, quicumque fuerunt, græcorum, vel etiam Phædri fabellas in aliam linguam rudemque sermonem, recedente structura, transtulerunt. Tum illæ translationes, vario multoque labore resolutæ, in scholis terendæ pueris traditæ sunt. Temporis

(1) Quintilien, *De Instit. oratoria*, l. I, c. 9, p. 37-38. Edit. Nisard.

(2) Cfr Duméril, *Poésies inédites du moyen-âge précédées d'une hist. de la fable ésopique*, Introd., p. 89.

vero decursu, hujusce generis operum codices præter modum crevere. Numerantur etiam nunc Romulus *Divionensis*, Romulus *Ulmensis*, Romulus *Nilantii*, Romulus *Bibliothecæ regiæ*, etc. (1).

Fuere qui illos fabellarum libellos, rudi latinitate compositos, elegis explicare polireque conarentur (2). In hoc versificandi genere, primæ Hildeberto partes sine controversia delatæ videntur. Cogitatione fingere nequis quanta fabularum, quas scripsisse dicitur, fuerit fortuna. Sæculo decimo tertio, inter scriptores, qui in scholis manibus versabantur, Virgilio Horatioque proximus, Æsopi nomen et personam sustinebat (3). Placet ex hisce fabellis nonnullos versus excerpere qui cum Phædro, illo nostro scholari, Ulmensique Romulo conferantur. Sint igitur hæc in exemplum :

Musca et Mula.

Phèdre : « Verbis non moveor tuis ;
Sed istum timeo, sella qui prima sedens
Jugum flagello temperat lento meum,
Et ora frenis continet spumantibus..... »

Romulus d'Ulm : *Verba tua non pavesco, sed hujus, qui prima sella sedet, qui frenis ora temperat.*

(1) Cfr Fleutelot, *Notice sur Phèdre*, p. 696-697, dans la *Collect. des aut. lat.* de Nisard.

(2) Duméril nuperrime typis mandavit *novum Æsopum* ab Alexandro Nechann, qui anno 1157 natus est, conscriptum. *Ubi sup.*, p. 170-199.

(3) Cfr Ebberardus Bethuniensis, *De miseriis rector. scholarum*, cant. III, ap. Leyser, *Historia poetarum medii ævi*, p. 825-854.

Hildebert : Nec tua facta nocent, nec tua verba mihi.
Nec te subtimeo, sed eum quem substinet axis.
Qui mea frena tenet, qui mea terga ferit (1).

Reperire est apud Beaugendre (2) versus 106 de *quodam paupere*, qui, ex hist. liter. Scriptoribus (3), Phædri fabulam de Lupo et Agno in memoriam revocant. Equidem in scenam inducitur pauper a quodam divite oppressus. Pauper ille igitur, etsi « unica spes erat civica jura subire, » conqueritur tamen apes, armenta victumque ablata; pueros, matrem, et illam anum, frusto panis deficiente, ad summam omnium rerum inopiam adductos. E contra divitem dictis mordacibus carpit, exhibetque « corpore maximum, eumdem nigerrimum, Pilatumque et *deos* spernentem. » Quidquid loquitur, sal nigrum videtur quo divites avari lædantur (4). Ex his igitur poetam facile deprehendis civica plebi jura vindicantem, exactionesque nobilium atris oblinentem versibus. Satyra præsto est; minime vero fabula. — Insuper prædictum carmen, versibus similiter desinentibus confictum, ab Hildeberti elegis valde discrepat. In eo enim præsertim ille probabatur, quod fabulas leoninis versibus, jam tunc

(1) Ap. Fleutelot, *ibid.*, p. 699.
(2) Hildeberti *opp.*, coll. 1327-1329.
(3) *Hist. littér.*, t. xi, p. 384.
(4) Noxia pestis, littera testis, dives avarus.
Dives avarus quam sit amarus, quam malus hostis
Sentio plus nimio. . . . .
Hildeberti *opp.*, col. 1327.

undique grassantibus, non scripserat (1).

Quæ quidem fabulæ, postquam intra medii ævi scholas, tum in Gallia cum Romæ ad imitandum, ipso auctore superstite, delectæ fuerant, eamdem, subsequentibus sæculis, existimationem sortitæ sunt; nec defuerunt qui eas gallice verterent (2). Translationes illæ prima inter carmina, vernaculo sermone conscripta, computandæ sunt. Facile igitur crediderim maximam illam, qua viguit, poeticam laudem, multo magis ex his fabulis, quam ex aliis poematibus, Hildebertum sibi comparasse.

Art. v. — De mythologicis fabulis, variisque animalibus apud Hildebertum poetam.

Post hæc notandum duxi quid apud Hildebertum occurrat, quod ad veterum poetarum commenta resque mythologicas pertineat, vel quod anima-

(1) « Les plus doctes poètes ont toujours fui la rime... tesmoing Henry, sçavant moine d'Auxerre, qui montre en la vie de S. Germain, que telle rymerie latine ne lui plaisait; comme aussi fit Hildebert de Lavardin. » Fauchet, *Recueil de l'origine de la poésie française*, etc., p. 64.

(2) « Vers 1333, dit M. Flentelot, les fables d'Hildebert furent traduites en vers français, en l'honneur de Mme Jehanne de Bourgogne, épouse du roi Philippe VI; en vers allemands, dans le courant du même siècle, par Boner; au xve, deux traductions des fables de Hildebert furent imprimées en Italie, l'une en prose par le napolitain Francesco Tuppo; l'autre en vers par le véronais Accio Zucco; une dernière parut en Angleterre, l'an 1503. — V. *Ubi sup.*, p. 687-699.

lium, quæ descripsit, indolem prodat.

1° Equidem voces nonnullas usurpat quæ mythologicas fabulas redolent. Sint in exemplum : *Dii* (col. 1327) ; *Stix* (col. 1319); *Avernus* (col. 1277);— refertur fabula, et illa prorsus notanda, Jovis tysiphea tela reformidantis, atque ideo Alexandri efflagitantis opem (1). Inter conquirendum apud amicum exsilii molestias, hæc habet :

Jupiter oranti si faustas præbeat aures,
Victima pro templo tunc cadet icta Jovi.
Si pacem nullam penitus mihi præstet eunti,
Irrita Neptuno cur ego dona feram ?...
Jupiter in multos temeraria fulmina torquet,
Qui pœnam culpa non meruere pati (2).

Opes, quæ ipsi, nondum exsuli, abunde erant, hisce versibus describit :

Larga Ceres, Deus Arcadiæ Bacchusque replebant
Horrea, tecta, penum, farre, bidente, mero (3).

Poetarum de Orpheu Eurydiceque commentum exornasse dicitur (4); tum demum Musis valedicit (5).

At illa meræ omnino scribendi formæ, poetis ac-

(1) V. *sup.*, p. 122.
(2) Hildeberti *opp.*, coll. 1347-1349.
(3) *Ibid.*, col. 1344.
(4) Cfr *Versus de Nummo*, ap. Otto, *Ubi sup.*, p. 179 sqq.
(5) Hildeberti *opp.*, col. 1370.

commodatæ, videntur. Impugnat enim Hildebertus ipsas Paganorum fabulas, nedum iis inserviat. Placet memorare quæ ab eo de S. Agnete narrantur. Quæ, cum induceretur ad Vestæ thure supplicandum, sic respondisse traditur :

Lapidi non supplico, lignum
Non veneror, Vestam nescio, sperno deos.
Vestra quidem Vesta lapis est...

Tum etiam multa de Christo prædicans, hæc addit :

Cum meus iste Jesus tot dotum fulgeat auro,
Vestros nobilitat gratia nulla deos.
Dii vestri nec mente vigent, nec carne moventur,
Nec vita spirant, nec deitate nitent....

Nec mora : in carcerem projicitur, at prodigia divinitus facta Agneti opitulantur, falsisque adversantur numinibus (1).

Perpauca igitur Paganorum commentis apud Hildebertum indulgent. Plurima vero de animalibus, in illo, qui *Satyra adversus avaritiam* inscribitur, libello, tradidisse videtur.

2° Eo præcipue munere apud medii ævi poetas funguntur animalia, nempe ut homines doceant quæ agenda, quæve fugienda sint. Quod patet ex iis, variisque operibus quæ tunc temporis sub *Physiologi*

(1) *Ibid.*, *Passio S. Agnetis*, coll. 1249-1254.

nomine prodierunt. Hujusce generis carmen, ut jam antea notatum est, inter Hildeberti opera editum reperitur, illudque Thibaldo illi seu Theobaldo, cujus eximiæ dotes memoratæ sunt (1), sane ascribendum. Quo vero a genuinis Hildeberti operibus recedente, nil omnino restat apud Beaugendre quod episcopi Cenom. mentem de animalibus, eorumque cum hominibus ratione, mentem prodat. Equidem illud per Hildeberti fabulas quærebatur, ut animalium, quæ in scenam inducebat, exemplis dictisque error mortalium corrigeretur; at fabulæ illæ in plerisque cum Phædri libellis congruunt, ideoque, ne trito jamdudum materia in medium proferatur, prætermittendæ sunt. Immorandum vero iis quæ, in poemate de *Nummo* inscripto, traduntur.

Multum hoc carmen cum *Physiologis* differt. Nullatenus enim ex eo moralitatis exempla quærenda sunt. Esse tamen magni pretii videtur index ille cujuslibet generis animantium, plantarumque et siderum qui eo continetur. Longum esset singula recensere. Hoc te unum edoctum volo, quod rem adumbret.

Igitur ab ineunte secunda hujusce carminis parte, in hoc contendit, ut invidiæ mala, quanta sint, enarret.

> Quid loquar invidiam, furia quæ sævior omni
> Spirat letbiferum viperea sanie (1).

(1) V. *supr.*, p. 121.
(2) Versus de *Nummo*, ap. Otto, v. 201-202.

Inde occasionem nanciscitur serpentes omnes ad unum, ex historiæ naturalis scriptoribus poetisque, recensendi, tumque indicem contexit ex viginti quinque nominibus conflatum, parum vero conducentem ad illustrandam uniuscujusque serpentis indolem. Sunt etiam in eo quæ risum moveant, nempe hæc :

Non metuenda tui rabies, hæmorrhois ingens,
Quæ facis, ut totus sanguine manet homo,
Sanguis sint lacrymæ sudorque nihil nisi sanguis,
Sic unum vulnus totus homo rubeat (1).

Rem prosequitur poeta, excerptis hinc et inde argumentis quæ thesim de invidia tueantur. Deinde in medium producuntur Julius Cæsar, Marius, Phalaris, Busiris, quibus perspicuum fiat quantæ malum unumquemque pœnæ maneant.

Ecce videns memori qua mente decet memorari,
Crimen quam certo pœna tenet laqueo (2).

Ita, quæ moralitatis exempla ex animalibus alii quæsierant, ea ille Noster ex historia poetarumque commentis. At, postquam tradidit quæ fugienda sint, instat operi, rectique vias enucleat. Igitur

Ipsa morte magis fuge crimina, concipe justum,
Propugnans vero pectore magnanimo....
Qui miles dominæ virtutis castra subisti,

(1) Versus de *Nummo*, ap. Otto, v. 297 300.
(2) *Ibid.*, v. 447-448.

Dans modo te vitiis transfuga vilis eris...
Te non enervet Siren Ignavia, noli
Monstri fallentis credere blandiciis.
Illustrat studium, labor instruit, otia solvunt (1).

Illud Nostri propositum testatur Orpheos fabula. Qui quidem, desidia torpens, fluvios minime frenasset. At

Arti maternæ junctum sudando laborem...
Et studio dictante sagax dum temperat odas,
Musæ demulcens omnia blandiciis,
Stant omnes, currit lapis... (2).

His ita ordinatis, totius naturæ descriptionem inchoat Noster, et ducenti quinquaginta versibus (v. 500-750) absolvit. Agitur primum de arboribus (v. 507-539); deinde de avibus, genereque omni, quod utitur alis, ut musca, locusta, etc. (v. 540-633); postea de quadrupedibus (v. 633-676); tum de piscibus (v. 677-724); denique de sideribus (v. 725-749).

Pervoluto indice illo, plurima sane arborum atque animalium nomina notares; perpauca vero quæ naturam unicuique generi omnino propriam explicent; nulla prorsus quæ ad mores excolendos pertineant. Nec mirum : Noster enim tantummodo naturæ indicem conficiendum susceperat; nullatenus vero moralitatis exempla ex animantibus plantisve expetebat.

(1) Versus de *Nummo*, ap. Otto, v. 501-505.
(2) *Ibid.*, v. 501-505.

Illa tamen minime desunt. E contra, ex Nostri versibus manifestum est quanta artes virtute polleant; vis harmoniæ, ex ipsa Pythagoræ disciplina, prædicatur :

Hæc animo corpus, hæc fœderat ima Supernis
Hæc mores ornat, membra dolore levat...
Certo certius est, hominis subsistere totum
Apte conjungi temperie numeri.
Non hominis tantum sed rerum quicquid in orbe,
Pax elementorum lege rata vegetat (1).

Patet iterum quantum inter se ars virtusque conveniant :

Artis scande gradu, quo te vocat ardua virtus (2).

Quanam etiam via utique gradiendum aperitur :

Quicquid agas, flecti nequeas de tramite recti...
Assecla justiciæ mortem contempne timendam,
Mors demum carnis, cum prior est animæ.....
Huic (virtuti) vigil insudes, hac duce summa petes (3).

Plurima invitissimus prætermitto quæ Nostrum exhibeant morum informatorem, quæ vero ad propositum de animalibus disserendi minus conducant.

Igitur præsto est poeta ex se ipso, vel ex historiæ poetarumque commentis, minime ex natura, quam

(1) Versus de *Nummo*, ap. OTTO, v. 763-764, 801-804.
(2) *Ibid.*, v. 1033.
(3) *Ibid.*, v. 1165, 1181 1182, 1187.

tamen describendam suscepit, exempla moralitatis educens; ideoque Satyra de *Nummo* multum cum *Physiologis* differt.

Atque hæc quidem hactenus: patefactus est enim locus ipse, ut non sit difficile in æstimandis poeticis Hildeberti dotibus, quid probandum necne, videre. Jam pergamus ad theologica philosophicaque opera.

CAPUT V.

HILDEBERTI THEOLOGICUS TRACTATUS.

Theologicum Hildeberti Tractatum evolventem prænotare decet:

1° Hildebertum, non secus ac Lanfrancum et S. Anselmum (1), acceptam a puero fidem in primis tenere, ducem habere, tuerique, juxta illud Apostoli : *accedentes ad Deum oportet credere.*

2° Præstantes illos viros, in fidei gremio enutritos, nec philosophicarum doctrinarum rudes, id summopere curasse, ut de *Fide sibimetipsis et omni*

(1) V. sur Lanfranc et sur S. Anselme les *Notices biogr., littér. et philos.* de M. Charma.

poscenti reddere rationem parati invenirentur (1). Persuasum enim habebant rationem fidemque minime adversari (2); — rationem nullo modo impotentem esse cuicumque problemati metaphysico apodictice resolvendo; sufficere vero omnino « rem incomprehensibilem indaganti, si ad hoc ratiocinando pervenerit ut eam certissime esse cognoscat, etiam si penetrare nequeat intellectus quomodo ita sit (3). »

3° Adeo non abjiciunt S. Scripturam Traditionemque, ut, cum tentaverunt, via minus explorata, reddere rationem de iis quæ fide perceperunt, ea, quæ philosophice excogitaverunt, ad ipsam fidem, ut pote rationem multum adjuvantem, referant.

4° Credit ut S. Anselmus, ita Hildebertus, et quidem firmissime; utriusque tamen fides quærit intellectum. Quare quam maxime arduas metaphysicæ quæstiones excutiendas suscipit Hildebertus, eaque argumenta prosequitur quæ evidentiæ ac rationi insistant.

5° Aliunde plurimum apud Hildebertum auctoritate valet S. Augustinus. Norunt autem omnes

(1) 2 Petr., III, 15.

(2) « Non est fides contra rationem, sed super rationem. Et ideo qui nihil credere vult, nisi quod ratione comprehendit, ut Philosophi, non habet meritum fides sua; sed qui illud quod non est rationi contrarium, et tamen est supra rationem, credit. » Hildeberti *oper.*, Tract. theol., c. VIII, col. 1030.

(3) S. Anselmus, *Monologium*, c. LXIV.

rem toto medii ævi decursu nihilo aliter se apud catholicos scriptores habuisse. Quod facile percipitur : insignis habebatur tum scientia doctrinaque catholicæ fidei consona, tum etiam acerrima philosophici ingenii acie. Adde Hildebertum Scripturarum auctoritati admiscere solitum probationes argumentis mere philosophicis stabilitas, easdemque e Cicerone et Seneca desumptas.

His de Hildeberti mente methodoque disputatis, theologicum Tractatum aggrediamur. Quo tempore fuerit scriptus, non plane constat. Conjicit enim Beaugendre (1) Hildebertum circa vigesimum quintum aut amplius annum, inter scholarchiam agendum, hunc librum edidisse; aliunde Scriptores hist. liter. franc. autumant (2) auctorem hujusce operis studiis Scripturæ Patrumque insenuisse.

Cæterum hoc opus, etsi multa injuria temporum desiderantur, insigne omnino et eximium videtur. Asserit enim Fleury (3) integrum theologiæ corpus eo contineri. Quod, cum *Summis* omnibus, quæ postea prodierunt, tempore fuerit prius, non est ambigendum quin non modicum theologiæ scholasticæ scriptoribus subsidium attulerit. Sive enim illorum doctrinæ substantia, sive ordo attenditur, Hildebertum omnino sapiunt. Rem sic evincit Beaugendre : « Sicut in exponenda doctrina sua, ut propositiones suas probet, nititur sacræ Scripturæ tes-

(1) HILDEBERTI *opera*, col. 1007.
(2) *Hist. littér.*, t. XI, p. 363.
(3) *Hist. eccl.*, l. LXIII, n° 19.

timoniis, et SS. Patrum Ecclesiæque Doctorum auctoritatibus; deinde quæ possunt objici quolibet in articulo seu capite, ipse refert sub verbis, *Quæritur, Solet quæri*, *Opponitur*, et similibus, quæ deinde docte omnino et solide solvere non omittit : sic Theologi scholastici, postquam suas assertiones exposuerunt et probaverunt, sibi ipsis ad majorem discussionem et intelligentiam objectiones suscitant sub hac epigraphe : *objicies*, quas postea ad sua principia reducunt et diluunt. (1). »

Operi præfigitur prologus Hildeberti mentem, S. Anselmi menti prorsus consonam, exhibens, ideoque annotandus.

Docet igitur rationem de fide omni poscenti esse reddendam. Permagni vero refert profanas vocum *novitates* vitare et in nullam partem præcipiti assertione declinare. Quare aucteritatis insistendum vestigiis; ea vero deficiente, his potissimum assentiendum, qui proxime auctoribus accedunt; Scripturas, nihil de proprio sensu præsumendo, ex pietate interpretandas ; atque ita, quæ obscura occurrunt, ea, ratione et auctoritate *concurrentibus*, pro cujusque facultate in lucem ponenda (2). Ita et ipse S. Anselmus, ut videre est apud Charma (3).

Igitur eadem utriusque methodus, eædem argu-

(1) Beaugendre, *Monit. ad theol. Trac.*, ap. Hildeberti *opera*, col. 1007.

(2) Hildeberti *oper* ; coll. 1009-1010.

(3) S. Anselme, dans les *Mém. de la Soc. des Antiq. de Normandie*, t. x; [2e sér.], p. 91, sqq.

mentorum sedes, ratio scilicet et auctoritas.

Ad Hildebertum redeamus. Jam a principio de fide, ejusque ad opinionem et scientiam respectu præclare disserit.

Memorata igitur Apostoli definitione, fides iterum definitur: « voluntaria certitudo absentium supra opinionem et infra scientiam constituta. Voluntaria, quia non cogitur; absentium, id est sensibus corporis non subjacentium; supra opinionem, quia plus est credere, quam opinari; infra scientiam, quia minus est credere, quam scire. » Ideo enim credimus, ut aliquando sciamus (1).

Quæ ut rite perspiciantur, probe tenendum est triplicem esse ex Hildeberto, Ecclesiæ Patribus, necnon scholasticæ theologiæ Scriptoribus, intelligentiæ gradum. Quorum videlicet ille, qui primus nuncupari potest, in iis versatur quæ humana ratione comprehenduntur, quæque humanam efficiunt scientiam, multa quidem, non tamen omnia, complectentem. Secundus ad ea spectat quæ non apparent, nec ratione percipi possunt, quæque ideo nunc credenda proponuntur, ut postea cognoscantur. Quare ex defectu rationis proficit fides (2).

Multum vero ad rationis meritum accedit, non se fidei simplicitati prætulisse, hanc sequi, nedum sibi nimium arrogans præcedat. Ita enim eveniet ut, evacuata fide, ratio permansura sit, et, meri-

(1) HILDEBERTI *oper.*; Tract. theol., coll. 1010-1011.

(2) *Ibid.*, *De Sacramento altaris*, col. 1106; cfr Ser. 29, col. 358; — ser. 35, col. 399.

to fidei promota, plenam integramque eorum, quæ credidit, scientiam consecutura (1): tumque tertius ille intelligentiæ gradus perficietur.

Ex quo perspicuum est fidem medium quoddam inter scientiam naturalem, quam etiam *opinionem* vocat Hildebertus, et illam præstantiorem omnibusque partibus expletam, quæ supernaturalis dicitur, tenere.

His apte concinunt ea quæ, de antiquorum fide disputata, ad theologiam pertinent. Dicitur enim Deus ita ab initio notitiam sui temperasse, ut, sicut nunquam totus potuerit comprehendi, sic nunquam totus ignorari. Ideo vero non totus voluit comprehendi, ut inde fides quidquam mereretur, nec totus occultari, ne infidelitas ignorantiam excusaret.

Porro Deus duplici via cognoscitur, partim videlicet humana ratione, partim divina revelatione.

Revelatio duplex: altera interna, quæ fit inspiratione; altera externa, quæ fit disciplinæ eruditione, factis scilicet et dictis.

Probat Hildebertus naturalem, eamque certam, existentiæ Dei demonstrationem, seclusa revelationis ope, dari posse.

Duplicem igitur affert: alteram e visibilium administratione gubernationeque desumptam, qua sapientia divinaque bonitas elucent; alteram ex uniuscujusque entis creati vitio manantem. Quo principiorum nexu posterior illa conficiatur, memorandum.

(1) Hildeberti *oper.*, *De Sacr. alt.*, col. 1106.

Cum humana mens se non possit ignorare, scit se aliquando cœpisse, nec, cum non esset, sibi, ut esset, substantiam dare potuisse. Ut ergo esset, ab alio facta est, quem idcirco non cœpisse constat; quia, si ab alio existentiam accepisset, primus omnibus existendi auctor esse non posset. Ens autem illud æternum necessariumque Deus est (1). Ita Cartesius.

Cujus etiam unitas naturali ratione probari potest. Si enim duo essent, vel utrumque insufficiens esset, vel alterum superfluum; quia si quid deesset uni, quod haberet aliud, non summe perfectum esset. Si vero nihil uni deesset, quod haberet aliud, cum in uno omnia essent, alterum superflueret. Est ergo unum principium, unus auctor omnium. Quod iterum e Scripturarum auctoritate evincitur.

Postea agitur de Dei attributis: scilicet de sapientia, immensitate, bonitate, æternitate, justitia. Quæ quidem e proprietatum diversitate, quæ in Deo nulla est, minime pendent (2), diversos vero illos exhibent effectus, quos Deus in creaturis operatur.

Immoratur potissimum Hildebertus immensitati Dei, in quo omnia, non quidem per essentiam, sed per dispositionem; ipse in omnibus per essentiam, non per potentiam. Etsi tamen in omni loco reipsa est et essentialiter, nullo comprehenditur, quia

(1) Hildeberti *opera;* Tract. theol., c. II, coll. 1013-1015.

(2) *Ibid.*, Tract. theol., c. III, coll. 1015-1019; cfr c. V, col. 1022.

non potest comprehendi pro sui immensitate, nec pro sui puritate maculari, nec pro sui simplicitate dividi. Igitur illocalis (1).

Quæritur ex occasione de spiritu creato utrum et ipse sit illocalis. Annuit S. Augustinus, causam interserens, corporalem creaturam moveri per loca et tempora; spiritualem moveri tantum per tempora; Deum, nec per loca, nec per tempora. Neganti vero S. Ambrosio creatum spiritum, ut pote finitum, illocalem esse, assentitur Hildebertus. Non tamen ad corporum normam loco continetur moveturque (2).

Caput. iv. — *De Trinitate.* — Ex auctoritate primum, dein fusius ex ratione, disserit Hildebertus, hoc modo : Deus, qui in se videri non potest, in opere suo percipitur. Quia vero omnium entium proxime accedit ad similitudinem Dei rationalis creatura, potest humana mens evidentius in se ipsa, quam in cæteris Trinitatis vestigium agnoscere. Porro intelligit in se ipsa nasci sapientiam, quæ est ipsa ; tum etiam se ipsam diligere sapientiam suam ut pote a se genitam, atque ita procedere sapientiam ex mente ; denique ex mente et sapientia procedere amorem. Quare sunt simul hæc tria, mens, amor, sapientia ; et sunt tria, inter se distincta, et tamen una substantia. Licet enim mens non sit sapientia vel amor, nec sapientia mens vel amor, unitas tamen substantiæ non recedit. Præ-

(1) Hildeb. *op.*, Tract. theol. c. III, col. 1018.
(2) *Ibid.*, c. III, col. 1019.

terea tria illa, cum de anima disputatur, ideo personæ esse non dicuntur, nec sunt, quia sunt affectiones mutabiles circa animam. Aliquando enim est anima sine notitia et amore; nec dici potest: notitia hominis est homo, amor hominis est homo (1).

Ex his menti ad Creatorem suum assurgenti perspicuum fit illum semper sapientiam habuisse dilexisseque; insuper amorem illum coæternum esse coæterno et coæternæ sapientiæ; tum demum non posse in Deo aliquid esse diversum a Deo, atque ita sapientiam Dei Deum esse, amorem Dei Deum: ideo substantiæ unitatem in diversarum Trinitate personarum manere (2).

Satis sit inscriptiones utriusque sequentis capituli proferre:

Cap. v. — *De variis nominibus personas Trinitatis per proprietates distinguentibus;*

Cap. vi. — *De æqualitate Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Notandum tres personas, quia sapiens, et potens et benignus est, dici in Deo esse; minime vero quatuor, vel quinque, vel multo plures, etsi fortis, justus, misericors, pius est, etc., quia quæcumque de Deo prædicantur, ad tria prædicta referuntur: fortitudo videlicet ad potentiam, providentia ad sapientiam, mansuetudo ad bonitatem, etc., in qui-

(1) Hildeb. *op.*, Tract. theol., c. IV, coll. 1019-1020.
(2) *Ibid.*, c. IV, coll. 1019-1021.

bus est summa perfectio. Ubi enim occurrunt ista tria, posse, scire, velle (quod est benignitas), nihil deest (1).

Post hæc de præscientia disserit Hildebertus.

Inter multa quæ a Boetio, Origine, S. Hieronymo, sanctoque Augustino mutuatus est, notat Hildebertus, et merito quidem, præscientiam nonnisi incongrue Deo competere. Apud eum namque nihil futurum, nihil præteritum; in eo neque prius est, neque posterius; « sed, quantum ad res quæ nobis futuræ sunt, dicimus eum futura præscire, quod, quantum ad eum, est ea tanquam præsentia scire (2). »

Quidquid id est, non ita et aperte de præscientia prædestinationeque disputat, ut jam nihil amplius desideretur.

De *Voluntate Dei.* — Voluntas Dei prima causa est omnium, ideo non est quærendum quare Deus voluerit, primæ enim causæ nulla causa est. Postea utrum Deus malum velit et permittat, quid possit, utrumve quidquid potest facere, possit velle, subtiliter inquiritur (3).

Prætermittimus ea quæ sequuntur de Incarnatione (4), de Angelis (5), de Operibus sex dierum (6),

(1) HILDEB. *op.*, Tract. theol., c. VII, col. 1028.
(2) *Ibid.*, c. IX, col. 1033.
(3) *Ibid.*, c. XX, XI, coll. 1035-1042.
(4) *Ibid.*, c. XI, XVI, coll. 1042-1053.
(5) *Ibid.*, c. XVII, XXII, coll. 1053-1064.
(6) *Ibid.*, c. XXIII, coll. 1064-1066.

de Creatione hominis, « cujus anima in sua ratione Deum cognoscere potest (1), » de formatione mulieris (2); de statu hominis ante peccatum (3); de peccato primi hominis, qui ideo peccasse dicitur, quia commodum ultra mensuram appetendo, justitiam deseruit (4); de gratia habita ante peccatum : ea enim potissimum ad theologiam pertinent.

At non theologice tantum, sed et philosophice de libero arbitrio tractatur ; quare mens Hildeberti evolvenda. Definitur igitur habilitas rationalis voluntatis, qua bonum eligitur cooperante gratia, vel malum, ea deserente. Illud efficitur ex duobus, scilicet voluntate et ratione. Rationis est videre quid sit eligendum, vel non ; voluntatis, appetere. Ratio vero sæpe sæpius trahitur a voluntate, et ducitur etiam iis quæ sunt contra rationem.

Quatuor liberi arbitrii status considerantur. Siquidem ante pecatum nihil ad bonum impediebat, nihil compellebat ad malum. Peracto peccato, nondum vero accedente gratia, concupiscentia premitur liberum arbitrium et vincitur. Post gratiam, premitur iterum, sed non æque vincitur ; ac demum post confirmationem, quæ in futuro erit, nec

(1) Hildeb. *op.*, Tract. theol., c. XXIV, coll. 1066-1068. — « Ut in facie cognoscitur homo, ita in ipsa ratione, tanquam in sua imagine, cognoscitur Deus : homo itaque imago Dei est per rationem. » *Ibid.*, col. 1066.

(2) *Ibid.*, c. XXV, coll. 1068-1070.

(3) *Ibid.*, c. XXVI, coll. 1070-1073.

(4) *Ibid.*, c. XXVII, coll. 1073-1075.

premi, nec vinci poterit (1).

Ex his patet liberum arbitrium multum per peccatum imminutum, nec ideo dici liberum quod æqualiter se habet ad utrumque, scilicet ad bonum et ad malum, cum per se quisque possit cadere, sed per se non possit surgere, nisi gratia Dei juvetur. Igitur velle simpliciter, quod est affectio, nobis est natura insitum; velle bonum, quod est virtus, nonnisi per gratiam datur (2).

His adde quæ de malo scripsit, quod ut boni privationem exhibet, quod proinde non est aliquid.

Bonum autem duplex: alterum Dei, alterum creaturarum. Dei essentia bonitas est; quare hujus boni nulla potest esse privatio.

Creaturæ aliæ spirituales, aliæ corporales. Quæ nonnisi participatione bonæ dicuntur; ideo bono suo privari possunt.

Hic agitur præcipue de spiritualibus creaturis, quarum duplex bonum, cognitio veritatis, amor virtutis. Utriusque incorruptione boni Deo adhærent; a quo corruptione recedunt. Cognitionis corruptio, ignorantia; amoris, cupiditas dicitur. Illud in primis adverte: « quanto magis crescit hæc ignorantia et cupiditas, tanto magis bonum animæ corrumpitur, et secundum hoc anima corrumpi dicitur. Cum enim anima sit substantia incorporea secundum substantiam sui non potest corrumpi,

(1) Hildeb. *op.*, c. XXIX, coll. 1078-1080.
(2) *Ibid.*, c. XXX, coll. 1081-1083.

sed secundum bonum quod participat. Præterea quanto magis anima peccatis deformatur, tanto amplius ratio, ingenium, memoria, etc., deteruntur et obtenebrantur (1). »

Actus esse indifferentes negare videtur Hildebertus (2).

Rursus ad theologiam referuntur quæ disputantur de originali peccato (3), de actualibus peccatis, de variis peccatis et virtutibus (4), de Sacramentis (5) et decem Præceptis (6). Cætera temporum invidia periere.

Is Hildeberti theologicus Tractatus. In quo, si doctrina spectatur, catholicam fidem prorsus sapere videtur; si argumentorum sedes, duplex: ratio scilicet et auctoritas. Quæ naturali ratione disseruntur, ea ad Dei existentiam attributaque, necnon ad liberum arbitrium potissimum pertinent. Quæ auctoritate stabiliuntur, ea e Scriptura, Ecclesiæ Patribus, præsertimque sancto Augustino deducuntur. Atque illud notandum: ut in moralibus profanos scriptores, ita in hoc theologico tractatu ecclesiasticos usurpavit: igitur in utrisque profanis sacrisque litteris maxime versatus videri debet Hildebertus.

(1) Hildeb., *op.*, Tract. theol., c. XXXVI, coll. 1090-1092.
(2) *Ibid.*, c. XXXVII, col. 1093.
(3) *Ibid.*, c. XXXI, XXXII, XXXIII, coll. 1083-1089.
(4) *Ibid.*, c. XXXIV, coll. 1089-1090.
(5) *Ibid.*, c. XXXVIII, XXXIX, coll. 1094-1097.
(6) *Ibid*, c. XL, XLI, coll. 1101-1102.

CAPUT VI.

LIBER DE QUERIMONIA ET CONFLICTU CARNIS ET SPIRITUS, SEU ANIMÆ.

Opusculum hoc de querimonia et conflictu carnis et spiritus editum conjicit Beaugendre post cladem ecclesiæ Cenoman., domibusque et prædiis Hildeberti illatam (1), dumque ipse Episcopus Guillelmi Rufi jussu in carcere tenebatur (2). Quod erui posse Beaugendre videtur ex iis verbis quibus incipit liber (3).

Præterea autumat Beaugendre Hildebertum, non secus ac Boetium, qui in angustiis de *Consolatione* philosophiæ scripsit, hunc librum ad solatium suum partim prosa, partim metro composuisse.

Jam hujusce libri exordium protulimus (4), ex quo Hildebertus inter medii ævi architectos jure ac merito annumerari posse videtur. Igitur dum curiosus geometer domum reficiendi studio anhelabat, fingit se occasionem libri de Conflictu carnis et

(1) Vide *supra*, p. 35.

(2) HILDEBERTI *oper.*, coll. 943-944.

(3) « Incendio domus mea corruerat, et reficiendi studio sollicitus anhelabam. » *Ibid.*, col. 943.

(4) Vide *supra*, p. 77.

spiritus nactum esse. Qui quidem liber multum confert cuique mentem Hildeberti de libero arbitrio indaganti. Quare ex integro explicandus est, ut perspicuum fiat quis sit ex Hildeberto ille carnis et spiritus conflictus.

Quonam modo rem effinxerit ordinaveritque attendamus. *Quædam* igitur, ut Hildeberti verbis utar, visa est ante oculos ejus, lugentis habitum gerens, et, quasi præter votum aliquid accidisset, similis conquerenti, terram tristis, cœlum intuens hilarior... Ipsa quidem primo nive candidior apparuit...; dehinc autem quibusdam visa est squalere sordibus. In manu ejus libellus in quo poeticum illud scriptum :

Gaudeas, an doleas, cupias, metuasve, quid ad rem?

Obstupuit Hildebertus obmutuitque. Tum illa mirari Hildebertum sic oblitum, sic longevæ sodalitatis immemorem, nullum sibi domicilium providere; queri præterea quod luteam ingressa domum, cujus non statim leges intellexit, quam tamen novit esse solvendam, conditione servili *domina* premitur, *pedissequaque caro* dominatur. Carne enim, quam *male potentem* vocat, tam imperiose illicitur libertas, ut quælibet imperanti obsequatur. Non ita vero a principio; reminiscitur enim quanta tunc libertas, quantus honor, quantaque pax. Ex quo itaque tam probrosum fœdus innotuit, cœpit hospitii tædere, et tristissimum exosa dominium, Hilde-

berto, quo neminem magis familiarem habet, duras relegere suæ confusionis historias statuit.

His deploratis, obmutuit. Hildebertus vero a reficienda domo nondum omnino revocatus, admirari tamen cœpit tacitus quænam foret hæc quæ ejus gloriaretur familiaritate, quæ fastidiret carcerem, quæ palatia somniaret : percontari igitur quæ sit, quod illi nomen, quid male habeat, et, ne supersint aliqua distractæ mentis indicia, virgam projicere, edicereque clientibus diuturnarum libertatem feriarum.

At illa velut indignans quia eam non statim agnoverit, tarditatemque increpans : « querebar equidem quod hospitæ mihi, jamjamque tabernaculum peregrinationis hujus egressuræ, nullam prorsus domum præparares. Præterea quæ sim quæris : quo igitur illa declinavit sodalitas, quæ ante ortum percussa, secretissimaque lege ordinata, nec humano incepta, nec solvenda est arbitrio? Denique non nosse me, quæ nunquam fuerim sine te, quid est aliud quàm vivere bestiam, et hominem diffiteri? Ostende, si potes, quid egeris sine me, quid disposueris sine me : novi cogitationum secreta; si scribis, articulos moveo : si loqueris, os aperio. Agnoscis eam quæ totum te implet, totum regit et possidet? Supra bestiam desipis, si tam proxime proximam ignoras. »

His dictis, agnoscit reipsa Hildebertus colloquentem animam.

Nota, antequam oratio longius progrediatur,

quid hæc et quam apte de se ipsa prædicet, scilicet inustas priori pulchritudini sordes; pristinam integramque, cujus meminit, libertatem; dominium quod usurpavit caro; conjunctionem, natura ordinatam, nulloque solvendam arbitrio, animæ et corporis; quantum animus præstet corpore quod regere debet et moderari; quamque conscius sit cogitationum quæ a se ipso principium ducunt.

Ad Hildeberti Tractatum redeamus. Quæritur igitur ab anima cur tota corruptionis causa exteriori ascribatur homini. Est enim animæ quæ potiora ratione eligere, velle ac nolle, amare et odisse, atque pro his affectibus ad ea quæ sunt bona seu mala corpus, ut pote fidelem servum, movere ac circumferre. Quare non videtur quonam modo carneum hoc hospitium spiritualem inquinet puritatem.

Rem ex præstantissimis christianæ fidei auctoribus evolvere nititur anima. Ad hoc tota reducitur argumentatio, ut perspicuum fiat uter prior, animus scilicet vel corpus, in culpa sit, quantum reatus alteri singulariter, quantum utrique imputandam.

Ponitur igitur in primis nihil omnino a principio fuisse quod Paradisi incolas vel a gloria creaturæ, vel a Creatoris reverentia abduceret. Subjungitur quibusdam illecebris, et illis forinsecis, carnis et spiritus concordiam postea impugnatam fuisse; naturam fragiliorem, sexumque ad resistendum debiliorem valde ad vetita sollicitatum; tum carnem, novis delectatam, abreptamque con-

siliis, novam ascivisse audaciam, qua, ipsa jam provocata ad edendum, spiritum provocavit ad consensum, inde carnem in culpa priorem fuisse; ac demum ex hoc tempore perennem cum carne familiaritatem carnales illecebras pepigisse.

Ea vero societatis hujus in Paradiso cœptæ vis est et stabilitas, ut caro, tanto intemperantiori appetitu quanto gratior est experientia, carnalia suspiret adhuc oblectamenta.

Hæc membrorum lex in prima quidem ætate ignoratur. Ex quo vero consopitum evigilavit arbitrium, caro tota congratulatur libidines per corporeos sensus et cogitationum imagines occursantes. Turbatum inde carnale hoc luteumque diversorium quemdam cœni fœtorem in animam exhalat. Præterea tanta *maritus* ille ardet concupiscentia, ut plerumque conjuncti spiritus consensum extorqueat.

Restat igitur nihil aliud quam ut anima obliteratam carnis atramento illacrymetur libertatem ; nec mirum si e lascivia carnis egredi velit : quod optimas animas effectasse reperire est.

Equidem mortem horret natura ; caro enim naturaliter hoc animæ lætatur officio quod *vivificationem* vocat Hildebertus. Quandoque tamen molestiarum impatiens quasdam velut faculas in hospitem vaporat animam : ex quibus nascitur turpis ac ridiculosus mortis appetitus (1).

(1) Hildeberti *oper.*, lib. de Conflict. car. et spir., coll. 943-950.

Hæc summa de Conflictu carnis et spiritus. Ex his quæ allata sunt, manifestum est liberum arbitrium nonnihil ab Hildeberto imminutum videri. Equidem caro concupiscit adversus spiritum; rationis vero est videre ea quæ agenda, vel vitanda; voluntatis eligere alterutrum, perficereque, quantacumque sit libido. Quod si aliter res se haberet, nullus jam delicti sibi conscius esse idemque reus jure ac merito nullatenus haberi posset; proposita virtutibus prœmia, et supplicia vitiis e medio tollerentur. At vero longe alia res est. Vitia enim in nostra sunt potestate, neque peccat quisque, nisi assensione. Quare tanta vis est conscientiæ, ut neque timeant, qui nihil commisserint, et pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt. Præterea exstirpari vitia et funditus tolli possunt; ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, ab iis avocetur, est id positum in voluntate, studio, disciplina.

CAPUT VII.

HILDEBERTI MORALIS PHILOSOPHIA : — DE HONESTO ET UTILI.

Cum statuisset Hildebertus aliquid de morali philosophia scribere, id proposito duxit aptissimum « moralium dogma philosophorum, per multa dis-

persum volumina », in unum contrahere. Quorum ideo fere omnia elegantia verba quasi comprehendisse sibi visus est.

Atque equidem ex iis quæ in toto hoc discursu copiose afferuntur, quæque notanda duximus, facile intelligitur multas fuisse in Hildeberto romanas litteras. Non ita vero liquet integrum de morali philosophia tractatum ab eo exsolutum.

Cui de officiis scribere cogitanti duplex ad imitandum liber occurrebat, alter scilicet Ciceronis, alter S. Ambrosii. Quorum ille moralem scientiam exhibebat qualem se apud Paganos, hic qualem se apud Christianos offerebat (1).

Qui quam diversa officium æstimarent regula, ex his S. Ambrosii patet : « Philosophi alia officia pertinere dicunt ad decus honestatemque vitæ ; alia ad vitæ commoda, opes, facultates .... Nos autem nihil omnino nisi quod deceat et honestum sit, futurorum magis quam præsentium metimur formula : nihilque utile nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam definimus, non quod ad delectationem præsentis. Neque aliqua commoda in facultatibus et copiis opum constituimus : sed incommoda hæc putamus, si non rejiciantur ; eaque oneri cum sint æstimari magis, quam dispendio cum erogantur (2). »

(1) Cfr Ampère, *Hist. littér. de la France avant le* XII*e siècle*, t. I, p. 398.

(2) S. Ambrosius, *De officiis ministrorum*, l. I, c. 9, p. 9. Edit. Lavigerie.

Ea mens utriusque operis, ex qua officiorum præstantiam et finem æstimabant. At miror sane S. Ambrosii mentem ab Hildeberto in hoc de Honesto atque Utili tractatu brevissime esse tactam in quibusdam commentariis ; eumdemque Ciceroni omnino in plerisque adhærere videri. Unde, ut conjicere fas est, multa, et illa magni momenti, prætermissa sunt.

Omnis enim quæ de scientia morali suscipitur institutio, debet quidem primum definire quid sit officium ; postea, ut Ciceroni videtur, de officio duplex occurrit quæstio. Unum genus erit, quod pertinet ad finem bonorum ; alterum quod positum est in præceptis, quibus in omnes partes usus vitæ conformari possit (1).

Si quis vero de scientia morali scripturus, extra hos fines terminosque a Cicerone, in illo libro, qui de officiis inscribitur, quasi constitutos, non fuerit egressus, præclare quidem, ut ipse Tullius, sed non absolute de singulis quæ homini incumbunt officiis, neque de eorum fonte disputabit. Quæ enim a Cicerone traduntur præcepta, ea in primis ad institutionem vitæ communis spectare videntur. Citerius vero debito de hominis erga se ipsum officiis disseruit ; prætermisit illud officiorum genus quo societas Dei hominumque continetur, et in quo omnis religio versatur ; præterea vim illam moralem præteriit, quæ ratione divina in rectis

(1) Cic. *De officiis*, l. I, c. 3. Edit. Lemaire, qua in toto hoc discursu utimur.

pravisque sanciendis posita est.

Quæ, ut in morali scientia maxima sunt vitia, jure ac merito in ipso Hildeberti tractatu offendunt. Non ita vero de S. Ambrosio, apud quem illa copiose accurateque tractata sunt et argumentis confirmata.

Ut tamen se habet Hildeberti moralis philosophia, novum omnino pro tempore et quasi insolitum operis genus videri debet. Ea enim tempestate, populi moralem quidem scientiam edocebantur; præcepta vero ad rem pertinentia, eaque populis religionem docendis informandisque moribus aptissima, hauriebant e sermonibus et homiliis quæ in ecclesiis habebantur, aut ex epistolis quæ pro vario personarum statu conscribebantur; vix autem ullus erat qui singularem de morali scientia librum componeret. Quare Hildebertus rem tractando intentatum jam pridem opus aggrediebatur (1).

Cæterum quæ protulit in medium, ea excerpta sunt, ut videbitur, pleraque e Cicerone et Seneca, paucissima e Sallustio, alia ex Horatio, Juvenali, Persio. Lucano et Virgilio, sæpe sæpius de verbo ad verbum reddita. Equidem Senecæ sententiis, e libro de *Beneficiis*, minime vero, ut Beaugendre placet (2), de *Clementia* desumptis utitur; præ cæteris vero Ciceronis sententias et dicta, e libro jam

(1) Cfr *Hist. littér.*, t. VII, p. 150.

(2) HILDEBERTI *opera;* Monitum ad philos. mor.., p. 959.

memorato, potissimum usurpata esse crediderim.

Etenim quæ a principio de triplici consilii capiendi deliberatione disserit Hildebertus, Ciceronis divisioni consonant. Inquirendum enim suscipit primum de honesto; secundo, duobus propositis honestis, utrum honestius; tertio de utili; quarto, duobus propositis utilibus, utrum utilius; quinto de utilis et honesti comparatione (1). Quæ Ciceronis menti prorsus consentanea sunt (2).

Iterum quæ de singulis hisce quæstionibus disputantur, ea quasi epitome Ciceronis libri de officiis in plerisque haberi possunt. Ut enim ab honesto incipiam, hujus quatuor esse partes sive fontes docet Hildebertus: quarum prima prudentia, secunda justitia, tertia fortitudo, quarta temperantia nuncupatur (3). Hæc et Cicero (4).

Hic vero forsan locus erit eos, qui e variis auctoribus proferuntur, quibusque refertur philosophia moralis, locos demonstrandi, secernendique ab iis quæ Hildeberto propria videntur; atque ideo utraque opposita tabella restituendi:

1° *De Prudentia.*—Ea in discretione rerum bonarum et malarum et utrarumque posita est. Cujus partes sunt providentia, circumspectio, cautio, docilitas.

(1) Hildeb. *op.*, coll. 961-962.
(2) Cic., *De officiis*, l. 1, 3. Ed. Lemaire.
(3) Hildebertus. *Ibid.*, col. 962.
(4) Cic., *De officiis*, l. I, 5.

Quæ vero de singulis disseruntur ea, hoc modo ordinari posse videntur :

Hildebertus	Excerpta.
Col. 963, l. 7-10.	Cic., *De officiis*, lib. I, 6, pag. 33, lin. 4-7.
l. 18-23.	Cic., *Ibid.*, l. I, 23, p. 110, l. 10; p. 111, l. 1-4.
l. 36-37.	Juvenal, *sat.* IV, v. 70-71.
l. 45-60.	Seneca, *De beneficiis*, l. VI, 31. p. 621, l. 5-16; p. 622, l. 1-4.
Col. 694, l. 1-3.	Seneca, *Ibid.*, p. 622, l. 5-6.
l. 3-4.	*Ibid.*, p. 623, l. 15-16, p. 624, l. I.
Col. 965, l. 42-49.	Cic. *De off.*, l. I, 6, p. 33; l. 8-14.

De Justitia. — Justitiæ est suum cuique servare. Dividitur in severitatem et liberalitatem. Quarum prior debito supplicio coercet injuriam.

Ea vero quæ de primo ejus officio afferuntur, aliena prorsus a Christianorum sanctique Ambrosii mente videntur. Quod sic evolvit S. Ambrosius : « Primum ipsum quod putant philosophi justitiæ munus, apud nos excluditur. Dicunt enim illi eam primam esse justitiæ formam, ut nemini quis noceat, nisi lacessitus injuria : quod Evangelii auctoritate evacuatur ; vult enim Scriptura, ut sit in nobis spiritus Filii hominis, qui venit conferre gratiam, non inferre injuriam (1). » Quibus assentitur Hildebertus in iis quæ jam memoratæ sunt epistolis (2).

(1) S. Ambrosius, *De offic. ministr.*, l. I, c. 28, p. 35. Edit. Lavigerie.

(2) V. *supra*, p. 105.

Quæ subsequuntur de illa secunda justitiæ forma, ex qua publica pro publicis, privata pro privatis habenda sunt, ea S. Ambrosii menti omnino congruunt. Docet enim Hildebertus *homines quietissime victuros, si duo verba tollerentur, meum ac tuum* (1). Porro ipse Ambrosius privatam possessionem aversari videtur (2); ita tamen ut eam exoptet communitatem in qua omnes nostræ utilitates in medio ponantur, atque alter alteri vel studio, vel officio, vel pecunia, vel operibus, vel quolibet modo ferat adjumentum (3). Illa animo effingebatur societas ita inter se conjuncta, ut, privata qualibet cupiditate abjecta, omnes ad se et quasi in unum converteret (4). Mirum prorsus mentis consilium! Quod vero, pro ingenita homini natura, nullatenus perfici posse videtur.

Quibus notatis, ad fontes unde hauriat Hildebertus redeamus.

Hildebertus.	**Excerpta.**
Col. 965, l. 22-41.	CIC. *De offic.*, lib. II, 11; pag. 249, lin. 8,11; p 250, l. 6-7; p. 251, l. 1 10.
l. 43-55.	CIC. *De officiis*, l. I, 7, p. 37.
	DE LIBERALITATE.
Col. 966, l. 22-25.	SEN., *de benefic.*, l. I, 1, p. 315, l. 11-12.

(1) HILDEBERTUS, *ubi supr.*, col. 965.

(2) S. AMBROSIUS, *Ibid.*, p. 35-36. Cfr CHARMA, *Not. biogr., littér. et philos.* sur Lanfranc, 2ᵉ part., not. 8, p. 106-109.

(3) *Ibid.*, p. 36.—Cfr CIC., *De offic.* l. I, 7, p. 39.

(4) Cfr AMPÈRE, *Hist. littér. de la France*, t I, p. 402.

Hildebertus.	Excerpta.
Col. 966, l. 25-28.	*Sen.*, *De benef.*, lib. I, 1, pag. 316, lin. 12; p. 317, l. 1-2.
l. 28-30.	*Id. ib.*, p. 316, l. 7-8.
l. 30-32.	*Id. ib.*, p. 316, l. 10-12.
l. 32-34.	*Id. ibid.*, l. II, 1, p. 353, l. 5-6.
l. 34-35.	*Id. ibid.*, p. 354, l. 1.
l. 35	*Id.* l. I, 1, p. 317; l. 4.
l. 36-38.	*Id.* l. II, 1 p. 355, l. 1-2.
l. 39-40.	*Id. ib.*, l. II, 1; p. 354, l. 8-9.
l. 40-41.	*Id. ib.*, p. 355, l. 2-3.
l. 41-43.	*Id. ib.*, p. 355, l. 4-5.
l. 43-45.	Seneca, *De benef.*, l. II, 2; p. 355, l. 9-10.
l. 45-46.	*Id. ib.*, p. 356, l. 2-3.
l. 49-51.	*Id. ib.*, 5, p. 358, l. 12 13.
l. 52-53.	Cic. *De offic.*, l. I, 14, p. 68, l. 1.
l. 53-56.	*Ib.*, l. I, 14, p. 68, l. 6-8.
l. 56-59.	*Ib.*, l. I, 14, p. 68, l. 11-12.
l. 60-61.	*Ib.*, l. I, 14, p. 69, l. 2-3.
Col. 967, l. 2- 4.	*Ib.*, l. I, 14, p. 70, l. 2-4.
l. 4- 7.	Seneca, *De benef.*, l. II, 10, p. 365, l. 3-5.
l. 7- 9.	*Ib.*, l. I, 2, p. 321, l. 1-2.
l. 15-16.	*Ib.*, l. II, 13, p. 369, l. 3-4.
l. 16.	*Ib.*, l. II, 13, p. 369, l. 8.
l. 18-24.	*Ib.*, l. II, 17, p. 375, l. 4-10.
l. 24-28.	*Ib.*, l. II, 16, p. 374, l. 1-4.
l. 30-34.	*Ib.*, l. VII, 28, p. 689, l. 2, 4, 6.
l. 34-36.	*Ib.*, l. VII, 29, p. 689, l. 11-12.
l. 36-39.	*Ib.*, l. I. 3; p. 322, l. 3-6.
l. 39-41.	*Ib.*, l. VII, 31; p. 690, l. 11-12.
l. 43-45.	*Ib.*, l. I, 1; p. 317, l. 6-8.
l. 47-49.	*Ib.*, l. IV, 26, p. 501, l. 12-13.
l. 49-51.	*Ib.*, l. VII, 31, p. 691, l. 10-11.
l. 51-55.	*Ib.*, l. VII, 31; p. 692, l. 3-4, 10-11.
l. 55-60.	*Ib.*, l. VII, 32; p. 693, l. 5-6, 11-12.

ralitas, quique operi nomen imponit (1). Ex Hildeberto, atque ex iis quibus assentitur, in collocandis beneficiis habendus est delectus dignitatis, eorum quibus datur animi erga nos, beneficiorum ad nostras utilitates ante collatorum, inopiæ etiam, sed ideo ut « omnes inopes boni præsidium sibi paratum videant (2). » Quæ quidem liberalitatem ad calculos vocare videntur; quo quidem vitio nullum in liberalitate majus. At ex Ambrosio, in iis quæ ad benevolentiam pertinent, utique inopia, qualiscumque est, et ea præsertim egere erubescit, spectanda est. Requiritur etiam de benevolentia, quæ perfecta sit, ut silentio tegatur, et necessitatibus singulorum occulte subveniatur.

Etsi omnibus debetur misericordia, multum tamen ab iis cavendum qui eam fraude quærunt, adfinguntque ærumnam; at ubi « causa manifestatur, cognoscitur persona, tempus urget, largius se debet profundere misericordia (3) » Nemo est qui non videat quam apte cohæreant illud benevolentiæ præceptum, illeque cautionis locus (4).

Ex his, atque aliis quæ proferre in promptu esset, manifestum est cuique Hildebertum et S. Ambrosium conferenti, hunc longe præstantiores liberali-

(1) S. Ambrosius, *De offic. ministr.*, l. I, c. 30, p. 39 : « affectus tuus nomen imponit operi tuo; quomodo a te proficiscitur, sic æstimatur. » Cfr Ampère, *Hist. littér.*, t. I, p. 402.

(2) Hildebertus, col. 968.

(3) S. Ambrosius, *de offic. ministr.*, l. I, c. 30, p. 39.

(4) Cfr Ampère, *Ibid.*, p. 403.

tatis disciplinas ex Evangelio hausisse, quam illum e Cicerone Senecaque. Non ita tamen moralem antiquorum scientiam aspernabatur ut ex ea optima quæque non exciperet. Quæ quidem a sacris scriptoribus mutuata esse prædicabat (1).

DE RETRIBUTIONE.

Præclaras omnino et copiosas de retributione sententias, hinc et inde excerptas, refert Hildebertus. Quas in plerisque S. Ambrosius imitatus est, atque iterum exhibuerat, additis tamen aliis reddendi beneficii rationibus quæ vim habent maximam, cum redhibitio ista gratiæ plurimum apud Deum valere probetur (2).

Quæ in eodem articulo subsequuntur de variis beneficentiæ operibus (3), ea hic locum suum obtinere non videntur, quadrare vero cum iis quæ de liberalitate disputata sunt. Quare ea e loco suo dejecta liberarii imperitia facile crediderim.

Quidquid id est, varii demonstrandi sunt fontes e quibus hausit Hildebertus.

Hildebertus.	Excerpta.
Col. 968, l. 49-60.	CIC., *De offic.*, lib. I, 15; pag. 73, lin. 1-11.
Col. 969, l. 39-40.	SENECA, *De benef.*, l. VI, 39; p. 639, l. 4-5.
l. 40-42.	*Ib.*, l. VI, 40; p. 635, l. 16.
l. 42-43.	*Ib.*, l. VI, 41; p. 636, l. 9-10.
l. 46-47.	*Ib.*, l. VI, 42; p. 637, l. 12-13.

(2) S. AMBROSIUS, *De offic. minis.*, l. I, c. 32, p. 43.
(3) HILDEBERTUS, 969-973.

Hildebertus.		**Excerpta**
Col. 969,	l. 55-58	Cic., *De offic.*, lib. II, 15, pag. 265, lin. 17; p. 266, l. 1-3.
	l. 61-63.	Cic. *De off.*, l. II, 15, p. 266, l. 4-5.
Col. 970,	l. 1-4.	*Ibid.*, l. II, 15; p. 266, l. 6-8.
	l. 4-14.	*Ibid.*, l. II, 15; p. 266, l. 12-18; p. 267, l. 1-5.
	l. 14-26.	*Ibid.*, l. II, 15; p. 267, l. 10-13; p. 268, l. 1-9.
	l. 27-36.	*Ibid.*, l. II, 16; p. 269, l, 3-7; p. 270, l. 1-2.
	l. 39-47.	*Ibid.*, l. II, 19; p. 284, l. 14-15; p. 285, l. 1-8.
	l. 47-50.	*Ibid.*, *De offic.*, l. II, 14; p. 262, l. 12-14.
	l. 50-51.	*Ibid.*, l. II, 14; p. 263, l. 4.
	l. 51-55.	*Ibid.*, l. II, 14; p. 264, l. 3-6.
	l. 55-61.	*Ibid.*, l. II, 14; p. 264, l. 10-15.
	l. 67-62.	*Ibid.*, l. II. 54; p. 265, l. 3-4.
Col. 971,	l. 9-29.	*Ibid.*, l. I, 38; p. 171, l. 5-12; p. 172, l. 1-2, 5-13.
	l. 29-32.	*Ibid.*, l. 38; p. 173, l. 1-2.
	l. 32-37.	*Ibid.*, l. II, 20; p. 285, l. 11-12; p. 286, l. 1-4.
	l. 52-53.	Horatius, *Od.*, l. II, car. 18, v. 15-16.
	l. 54-59.	*Ib.*, *od.*, l. IV, car. 7, v. 7-8, 13-16.
	l. 59	Horatius, *Ars poet.*, v. 65.
Col. 972,	l. 1-5.	Juvenalis, *Sat.* X, v. 346-350-356.
	l. 23-25.	Cic., *De offic.*, l. I, 8, p. 40, l. 5-6.
	l. 25-33.	*Ib.*, l. I, 10; p. 51, l. 3-6; p. 52, l. 1-4.
	l, 57-60.	Horat., *Od.*, III, car. 28, v. 19-19.
	l. 62.	Horat., *Sat*, I, 3, v. 68-69.
Col. 973,	l. 1-3.	Juvenalis, *Sat.*, XIV, v. 233-234.
	l. 40-52.	Cic. *De offic.*, l. I, 7; p. 38, . 7-8; p. 39, l. 1-8.
	l. 55 56.	Sallustius, *Jugur.*, c. x, p. 160, l. 8 9.

Hildebertus.	Excerpta.
Col. 974, l. 59.	Cic. *De offic.*, lib. I, 9; pag. 47, lin. 11.
l. 13-17.	Cic. *De offic.*, l. I, 7; p. 31, l. 7; p. 42, l. 1-4.
l. 36-41.	Cic. *Ib.*, l. I, 13; p. 67, l. 2-5.
l. 42-43.	Horat., *Ars poet.*, v. 437.
l. 44-46.	Juvenalis, *Sat.*, II, v. 11-12, 8-9.
l. 47-53.	Cic., *De off.* l. I, 9; p. 44, l. 15-18; p. 45. l. 1-2.
Col. 975, l. 1- 5.	Cic., *De offic.*, l. I, 8; p. 44, l. 8-13.

DE FORTITUDINE.

Placet Ciceroni probe definiri a Stoïcis fortitudinem, quum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro æquitate (1). Quæ duabus rebus maxime cernitur: quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, cum solum id, quod honestum est, bonum judices, et omni animi perturbatione liber nulli succumbas fortunæ. Altera est ut res magnas geras et maxime utiles, sed et vehementer arduas (2).

Posterior quidem ad claritatem amplitudinemque aptior videtur, atque ideo alios ad res bellicas, alios ad urbanas impellit (3). Est tamen in priore causa et ratio efficiens magnos fortesque viros (4). A quibus requiritur ut vacent « omni animi perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam

(1) Cic., *De offic.*, l. I, 19, p. 90.
(2) *Iid.*, l. I, 20, p. 94-95.
(3) *Ibid.*, l. I, 21, p. 99.
(4) *Ibid.*, l. I, 20, p. 95.

ægritudine, et voluptate animi, et iracundia; ut *tranquillitas et securitas adsit, quæ* affert quum constantiam tum etiam dignitatem. » Ea summa eorum quæ, si Ciceroni credas, virum fortem efficiunt, quæque ab eo expetenda sunt ut *delectatus re sua familiari* sic vivere possit, ut velit (1).

Quem exhibet virum fortem S. Ambrosius, is quoque vitiis mox memoratis omnino vacare debet, et corpus ita afficere « ut obedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis, et in labore tolerando (2) » Nec vero hoc satis.

Ita enim afficienda est caro, ut ipsa moriatur, et in ea omnis culpa; decernendum est enim inexpiabili prælio adversus omnia vitia (3). Non ideo adhibenda est despicientia rerum externarum, ut eam tantum assequaris « *tranquillitatem animi et securitatem, quæ affert cum constantiam, tum dignitatem,* sed summopere elaborandum ut *omnia virtutum ornamenta* defendas (4).

Igitur Cicero illum effinxit fortem virum quem vulgo sapientem vocant; Ambrosius vero, virum christianum.

Propius ad Ciceronis quam ad S. Ambrosii sententiam accedere videtur Hildebertus a quo definitur

(1) Cic. *De offic.*, l. I, 20, p. 97-98.

(2) Cic., *Ibid.*, l. I, 23, p. 109. Cfr S. Ambrosius, *De offic. ministr.*, l. I, 37, p. 48.

(3) S. Ambrosius, *Ibid.*, l. I, c. 37, p. 50.

(4) *Ibid*, l. I, 39, p. 51.

fortitudo « virtus retundens impetus adversitatis (1). » Quare priorem tantum fortitudinis formam, qualis exhibetur a Cicerone, complectitur. Quæ vero singulis ejus partibus, scilicet magnanimitati, fiduciæ, securitati, magnificentiæ, constantiæ patientiæque ascribuntur, ea Ciceronis mentem in plerisque referunt. Adde selectissimas poetarum sententias toti controversiæ, præcipueque colloquio, quod securitatem inter et timorem intercedit, multa arte insertas. Quæ quidem, hinc et inde delibata, eo maxime spectant ut eum fortem virum tum in urbanis cum in bellicis rebus informent, quem excogitavit Cicero.

Hildebertus.		Excerpta.
Col. 975,	l. 25-27.	Horat., *Od.*, III, 2, v. 21-24.
	l. 27-36.	Cic., *De offic.*, l. I, 19; p. 90, l. 5-7; p. 91 l. 3-7.
	l. 37-41.	Cic., *Ibid.*, l. I, 20; p. 96, l. 5-7.
	l. 43-45.	Cic., *Ibid.*, l. I, 19, p. 93, l. 4-5; p. 94, l. 1 3.
	l. 49-52.	Cic., *Ibid.*, l. I, 19, p. 93, l. 10-12.
	l. 55-57.	Horat., *Od.*, III, 2, v. 17-20.
	l. 58-59.	Cic. *Ibid.*, l. I, 23; p. 111, l. 6-7.
Col. 976,	l. 1-3.	Cic. *Ibid.*, l. I, 23; p. 111, l. 7-10.
	l. 4-5.	Cic. *Ibid.*, l. I, 24, p. 112, l. 7-8.
	l. 7-18.	Cic. *Ibid.*, l. I, 24; p. 112, b. 8-9; p. 113, l. 1-8.
	l. 19-22.	Horat., *Od.*, III, 4, v. 65-68.
	l. 26-30.	Horat., *Od.*, II, 10, v. 13-18.

(1) Hildeb. *op.*, col 975.

Hildebertus.		Excerpta.
Col. 976,	l. 30-31.	Hor., *Epl.* I, 4, v. 14.
	l. 51-55.	Juven. X, v. 243-245.
	l. 56-61.	Lucanus, VIII, v. 29-32.
Col. 977,	l. 2-4.	Juven. s. xi, v. 44-45.
	l. 8.	Virgil. *Æneid.* II, v. 646.
	l. 8-13.	Lucan. VII, v. 809-811; l. VII, v. 818-819.
Col. 978,	l. 8-11.	Hor. *Od.,* III, 3, v. 1-4.
	l. 11-14.	Lucan. VII, v. 104-106.
	l. 14-17.	Cic. *De offic.*, l. I, 23; p. 110, l. 6-9.
	l. 23-32.	Cic. *De offic.*, l. I, 25; p. 116, l. 1-6, 9-11.
	l. 33-36.	Cic. *Ibid.*, l. I, 25; p. 117, l. 12; p. 118, l. 1-2.
	l. 37-39.	Cic. *Ibid.*, l. I, 11; p. 55, l. 4-5.
	l. 51-54.	Hor., *Od.* III, 16, v. 9-11, 15-16.
Col. 979,	l. 8-9.	Cic. *De offic.*, l. I, 11; p. 55, l. 5-7.
	l. 13-19.	Cic. *Ibid.*, l. I, 13; p. 63, l. 8; p. 64, l. 1-5.
	l. 20-23.	Cic. *Ibid.*, l. I, 22; p. 103, l. 5-8.
	l. 24-25.	Cic. *Ibid.*, l. I, 22, p. 106, l. 4-5.
	l. 33-37.	Cic. *Ibid.*, l. I, 23; p. 108, l. 12; p. 109, l. 1-3.
	l. 43-46.	Hor., *Od.* II, 3, v. 1-4.
	l. 46-49.	Hor., *Od.* II, 10, v. 21-24.
	l. 52-55.	Hor., *Sat.* II, 7, v. 6-9.
	l. 56-62.	Juven., *Sat.* XIII, v. 236-241.
Col. 980,	l. 1-3.	Juven., *Ibid.*, v. 241-244.
	l. 13-17.	Hor., *Epl.* I, 1, v. 97-98, 110.
	l. 17-18.	Hor., *Epl.* I. 8, v. 12.
	l. 18-19.	Hor., *Epl.* I, 14, v. 13.
	l. 20-21.	Hor., *Epl.* I, 11, v. 27.
	l. 20-21.	Hor., *Epl.* I, 1, v. 90.
	l. 22-23.	Hor., *Epl.* I, 1 v. 3.
	l. 24-26.	Hor., *Epl.* I, 14, v. 43.
	l. 27-29.	Lucanus, IX, v. 403-404.
	l. 30-31.	Hor., *Od.* I, 24, v. 19-20.

Videtur primum temperantia sensu strictiori apud Hildebertum quam apud Ciceronem accipi. Siquidem prior eam judicat esse « dominium rationis in libidinem et alios motus importunos (1); » posterior vero ea contineri illud omne, « quod dici latine decorum potest, decorumque ad omnem omnino honestatem pertinere (2). » — Cæterum, etsi dicta poetarum sæpe sæpius usurpantur, mens Ciceronis in plerisque iterum exhibetur, ubi de singulis temperantiæ partibus, hoc est de modestia, verecundia, abstinentia, honestate, parcitate, sobrietate pudicitiaque disputatur.

Is utriusque ordo dividendi. Quæ de modestia memorantur, ea referuntur ad cultum et motum, et omnes nostras occupationes, quæ pro diversitate morum, ætatum, negotiorum variæ sunt. De iis fusius obiterque tractatur, ubi de ætatum officiis, de verecundia et luxuria; postea vero iterum de verecundia quæ tum in gestu cum in verbo servanda est. De abstinentia, honestate, moderantia parcitateque, in quantum edulii irritamenta cohibent, sententias poetarum et regulas usurpavit Hildebertus.

Quæ sequuntur, et ea quidem perpauca, atque a Cicerone mutuata, spectant ad pudicitiam, cujus est « moderamine rationis petulantiam domare (3). »

(1) HILDEB. *op.*, col. 975.
(2) CIC., *De offic.*, l. I, c. 27. p. 125 126.
(3) HILDEBERTUS, *Ibid.*, col. 986.

Hæc Hildebertus de temperantia retulit. Quæ vero si contuleris cum S. Ambrosii dictis, iterum facile perspicies multum adjumentum, multamque vivendi puritatem e christiana doctrina morali Paganorum scientiæ accessisse (1); multa denique in Hildeberti morali philosophia desiderari, quæ apud christianos scriptores colligere erat in promptu.

Hildebertus.	**Excerpta.**
Col. 980, l. 42-43.	Cic., *De offic.*, lib. I, 27; pag. 123, lin. 3-4.
l. 45-53.	Hor., *Epl.* I, 2, v. 54-57; 59-60; 62-63.
l. 54-60.	Cic., *De offic.*, l. I, 27; p. 125.
Col. 981, l. 1- 3.	Hor., *S.* I, 1, v. 106-107.
l. 3-5 .	Cic., *De offic.*, l. I, 36; p. 163, l. 13-14.
l. 7-10.	Cic., *De offic.*, l. I, 36; p. 164, l. 6-8.
l. 11-19.	Cic., *De offic.*, l. I, 36; p. 164, l. 10; p. 165, l. 1-6.
l. 19-22.	Cic., *Ibid.*, l. I, 36; p. 165, l. 10-11; p. 166, l. 1-2.
l. 23-31.	Cic., *Ibid.*, l. I, 29; p. 134, l. 4; p. 135, l. 7-12.
l. 35-38.	Juv., *S.* IX, v. 18-20.
l. 38-40.	Cic., *De offic.*, l. I, 29; p. 135, l. 12-14.
l. 42-46.	Cic., *De offic.*, l. I, 30; p. 140, l. 3-5, 7-8.
l. 46-52.	Cic., *De offic.*, l. I, 30; p. 140-142.
l. 53-55.	Pers., *S.* V, v. 52-53.
l. 56-58.	Cic., *De offic.*, l. I, 31; p. 148, l. 10; p. 149, l. 1.
l. 58-62.	Cic., *De offic.*, l. I, 31; p. 144, l. 10-12.
Col. 982, l. 3-11,	Cic., *De offic.*, l. I, 31, p. 144, l. 10; p. 145, l. I, p. 149, l. 1-7.

(1) Cfr S. Ambrosius, *De offic. ministr.*, l. I.

Hildebertus.	Excerpta.
Col. 982, l. 14-30.	Hor., *Ars poet.*, v. 168-174.
l. 34-37.	Hor., *Od.*, III, 6, v. 45-48.
l. 38-42.	Cic., *De offic.*, l. I, 34; p. 156, l. 6-10.
l. 44-49.	Cic., *De offic.*, l. I, 32; p. 151, l. 10-15.
l. 53-55.	Cic., *De offic.*, l. I, 34; p. 156, l. 11-12.
l. 55-58.	Juv., *S.*, VIII, v. 165-166.
l. 58-59.	Hor., *Ep.* I, 19, v. 49-50.
l. 59-61.	Cic., *De offic.*, l. I. 34; p. 156, l. 12-13.
l. 62-63.	Hor., *Od.*, III, 2, v. 1-3.
Col. 983, l. 1-3.	Hor., *Ep.* I, 2, v. 68-70.
l. 4-5.	Pers., *S.*, III, v. 23-24.
l. 6-10.	Cic., *De offic.*, l. I, 34; p. 157, l. 1-5.
l. 10-12.	Cic., *De offic.*, l. I, 29; p. 136, l. 2-4.
l. 14-16.	Hor., *Ep.* II, 2, v. 141-142.
l. 16-19.	Cic., *De offic.*, l. I, 29; p. 136, l. 10-12.
l. 22-24.	Cic., *De offic.*, l. I, 34; p. 157, l. 6-7.
l. 29-32.	Cic., *De offic.*, l. I, 34; p. 157, l. 7-8, 10-11.
l. 34-39.	Cic. *De offic.*, l. I, 34; p. 157, l. 11-16.
l. 40-44.	Juv., *S.* XIV, v. 31-32, 40-41.
l. 45-51.	Cic., *De offic.*, l. I, 34; p. 158, l. 2-9.
l. 56-58.	Cic., *De offic.*, l. I. 34; p. 158, l. 10; p. 159, l. 1-2.
l. 58-62.	Cic., *De offic.*, l. I, 42; p. 186, l. 8-9; p. 187, l. 1-2.
l. 7-15.	Cic., *De offic.*, l. I, 42; p. 188, l. 3-8; p. 189, l. 5-6.
Col. 984, l. 16-18.	Hor., *Ep.* II, v. 1-4.
l. 30-31.	Cic., *De offic.*, l. 35; p. 160, l. 6-15.
l. 32-35.	Cic., *De offic.*, l. I, 35; p. 160, l. 15-17.
l. 35-45.	Cic., *Ib.*, l. I, 40; p. 180, l. 6-8; p. 181, l. 1-7.
l. 46-60.	Hor., *Ars poet.*, v. 105-117.
l. 62.	Hor., *Ep.* I, 18, v. 27.
Col. 985, l. 1-2.	Hor., *Ep.* I, 18, v. 38.

Hildebertus.	Excerpta.
Col. 985, l. 3-7.	Hor., *Ep.* I, 18, v. 68-71.
l. 25.	Juv., *S.*, I, v. 49.
l. 26-30.	Juv., *S.*, XI, v. 35-38.
l. 32-34.	Juv., *S.*, V, v. 123-124.
l. 35-41.	Lucan., IV, v. 373-378; v, 381.
l. 44-45.	Hor., *S.*, II, 2, v. 8-9.
l. 45-46.	Hor., *S.*, II, 7, v. 81.
l. 50-51.	Hor., *S.* II, 2, v. 38.
l. 54-57.	Hor., *Od.*, III, 29, v. 13-16.
Col. 986, l. 1-5.	Hor., *Ep.*. I, 5, v. 16-19.
l. 23-33.	Cic., *De offic.*, l. I, 30; p. 138, l. 6-8, 10-12; 139, l. 1-4.

DE HONESTORUM COMPARATIONE.

Placet actionem anteponendam esse cognitioni, proindeque prudentiam, quæ ad cognitionem pertinet, posteriorem esse justitiæ, fortitudini et temperantiæ quæ spectant ad actionem; atque iterum temperantiam justitiæ fortitudinique præstare, justitiam vero fortitudini.

Præterea in ipsa communitate ii sunt officiorum gradus, ut prima *Diis* immortalibus; secunda, patriæ; tertia, parentibus; reliqua deinceps gradatim debeantur (1). Quibus assentitur ipse Ambrosius (2); negat vero S. Thomas patriam parentibus anteponendam.

(1) Hildeb. *op..*, col. 986-987.
(2) *Ibid.*, l. I, c. 27, p. 34..

Hildebertus		Excerpta
Col. 986,	l. 42-45.	Cic., *De off.*, lib. I, 43, pag. 189-194, pass.
	l. 45 52.	Cic, *De offic.*, l. I, 43, p. 194, l. 4-6.
	l. 59-60.	Hor., *Od.*, II, 2, v. 9-10.
Col. 987,	l. 1- 2.	Hor., *Od.*, II, 2, v. 10-12.
	l. 7- 9.	Cic., *De offic.*, l. I, 45; p. 200, l. 1-3, 5.
	l. 11-13.	Cic., *De offic.*, l. I, 44; p. 197, l. 7; p. 198, l. 1-2.
	l. 14-17.	Cic., *De offic.*, l. I, 45; p. 201, l. 9; p. 202, l. 1-2. *De Utili.*
	l. 19-21.	Cic., *De offic.*, l. II, 3; p. 217, l. 10-11, 13.
	l. 31-32.	Juv., *S.*, X, 297-98.
	l. 45-46.	Juv., *S.*, VIII, v. 20.
	l. 46-48.	Juv., *S.* VIII, v. 30-32.
	l. 48-49.	Juv., *S.*, VIII, v. 76.
	l. 49-52.	Juv., *S.*, VIII, v. 269-271.
	l. 55-58.	Cic., *De offic.*, l. I, 33; p. 155, l. 16; p. 156, l. 1-3.
Col. 988,	l. 10-12.	Cic., *De offic.*, l. I, 39, p. 175, l. 7-8.
	l. 13-15.	Hor., *Od.*, II, 10, v. 5-8.
	l. 15-18.	Cic., *De offic.*, l. I, 39, p. 174, l. 5-7.
	l. 20-25.	Cic., *De offic.*, l. I, 39; p. 175, l. 1-5.
	l. 25-29.	Hor., *Ep.* I, 10, v. 30-33.
	l. 30-32.	Lucan., V, v. 527-29.
	l. 34-35.	Lucan., II, v. 384-85.
	l. 40-45.	Hor., *Od.* III, 24, v. 1-8.
	l. 46-50.	Hor., *Od.*, II, 3, v. 21-27.
	l. 50-53.	Hor., *Ep.* I, 2, v. 47-48.
	l. 53-55.	Hor., *Ep.* I, 2, v. 51-52.
	l. 55-58.	Hor., *Od.*, I, 4, v. 13-14.
Col. 989,	l. 13-22.	Hor., *Ep.* I, 18, v. 86-92, 94-95.
	l. 22-24.	Hor., *Ep.* I, 18, v. 65-66.
	l. 27-33.	Hor., *Ep.* I, 18, v. 76-81.
	l. 34-36.	*Ib.*, I, 18, v. 84-85.
	l. 38-39.	Hor., *Ep.* I, 18, v. 98

Hildebertus.	Excerpta.
Col. 989, l. 39.	Hor., *Ep.* I, 18, v. 72.
l. 41-42.	Hor., *Ep.* I, 18, v. 39.
l. 42-43.	Hor., *Ep.* I, 18, v. 44-45.
l. 45-49.	Hor., *Ep.* I, 17, v. 43-45, 50-51.
l. 51.	Hor., *Ep.* I, 17, v. 35.
l. 55.	Luc , III, v. 152.
l. 57.	Juv., IX, v. 120.
Col. 991, l. 2- 6.	Cic., *De offic.*, l. I, 20, p. 96, l. 8-12.
l. 10-11.	Hor., *Od.*, I, 4, v. 13, addere *pro* inchoare.
l. 12-13.	Hor., *Od.*, IV, 7, v. 17-18 crastina vitæ *pro* summa.
l. 13-14.	Hor., *Od.*, I, 9, v. 13.
l. 14-20.	Hor., *Od.*, III, 19, v. 29-33, v. 41-45.
l. 20-23.	Hor., *Od.*, II, 16, v. 25-28.
l. 30-32.	Hor., *Ep.* I, 16, v. 67-68.
l. 32-34.	Hor., *Ep.* I, 17, v. 9-10.
l. 37-38.	Juv., XIV, 207.
l. 38-39.	Hor., *Sat.* II, 5, v. 8.
l. 40-41.	Hor., *Sat.* I, 1, v. 62.
l. 41-45.	Juv., III, v. 143-144, 152-153.
l. 45-46.	Hor , *Od.* III, 24, v. 43-44.
l. 46-47.	Ep. I, 6, v 37.
l. 47-51.	Hor., *Sat.* II, 3, v. 95-97.
l. 54-57.	Juv., VI, v. 298-300.
l. 57-59.	Hor. *Od.* III, 6, v. 17-18.
l. 60-61.	Hor , *Epod.*, IV, v. 5, fœcunda *pro* superbus.
l. 62-63.	Hor., *Od.*, III, 24, v. 62-64. Nam *pro* scilicet.
Col. 991, l. 1- 5.	Hor. *Od.* III, 16, v. 16-17, 21-22, 42-43.
l. 6- 9.	Hor., *Ep.* I, 12, v. 4-6.
l. 9-11.	Juv., XIV, v. 139-140.
l. 11-12.	Juv., XIV, v. 176-177.

Hildebertus.		Excerpta.
Col. 991,	l. 13-16.	Juv., X, v. 19-20, 22.
	l. 17-18.	Juv., XIV, v. 304.
	l. 18-21.	Hor., *Ep.* I, 10, v. 47-48.
	l. 22.	Hor., *Ep.* I, 1, v. 19.

DE PRÆLATIONE.

Hæc summa Hildeberti de prælatione, videlicet prælationis temperandus est appetitus: gravior est enim casus altitudinis. Altera causa est, quia simulationem aperit prælatio. A qua, necnon a superbia licentiaque, qua deteriores efficimur, præcavendum. Quod præcipue ex his fontibus deducitur probaturque.

Hildebertus.		Excerpta.
Col. 992,	l. 51-54.	Juv., X, v. 56-58.
	l. 54-59.	Luc., I, v. 70-71, 80-81, 510-511.
	l. 1-4.	Hor., *Od.*, II, 10, v. 9-12.
	l. 4-10.	Hor., *Od.*, III, 29, v. 49-56.
	l. 18-26.	Cic, *De offic.*, l. II, 6, p. 230, l. 10.-11; p. 232, l. 16-18; p. 233, l. I, 234, l. I.
	l. 27-29.	Jun., X, v. 112-113.
	l. 29-32.	Cic., *De offic.*, II, 7, p. 234, l. 1-2.
	l. 33-35.	Cic., *De offic.*, II, 7, p. 235, l. 2-3.
	l. 37-43.	Cic., *De offic.*, II, 7, p. 235, l. 4-6, 9-12, p. 236, l. 1.
	l. 51-52.	Hor. *Od.*, IV, 9, v. 29-30.
	l. 52-53.	Juv., IV, v. 17.
	l. 53-54.	Hor., *Od.*, IV, 8, v. 28.
	l. 56-58.	Hor., *Ep.*, I, 6, v. 25-27.
Col. 993,	l. 3-4.	Hor., *Ep.*, I, 16, v. 39.
	l. 10-11.	Juv., VII, v. 81.

Ea de re, mens omnino Ciceronis, paucis admodum interjectis, refertur.

Hildebertus.	**Excerpta.**
Col. 993, l. 21-32.	Cic., *De offic.*, l. II, 25, p. 307, l. 1-9.
l. 42-54.	Luc. VIII, v. 484-495.
l. 57-59.	Cic., *De offic.*, III, 3, p. 327, l. 9-10.
Col. 994, l. 1-4.	Cic., *De offic.*, III, 7, p. 346, l. I, 2-30, p. 413, l. 17, p. 414, l. 1-2.
l. 28-45.	Cic., *De offic.*, III, 5, p. 355, l. 12-18; p, 336, l. 1-11.
l. 45-48.	Cic., *De offic.*, III, 5, p. 337, l. 9-11.
l. 48-51.	Cic., *De offic.*, III, 5, p. 338, l. 3-5.
l. 51-62.	Cic, *De offic.*, III, 3, p. 339, l. 1 3, 5 7, 10-11.
Col. 995, l. 1-6.	Cic., *De offic.*, III, 6, p. 341, l. 6-8; p. 342, l. 1-2.
l. 12-21.	Cic., *De offic.*, III, 20, p. 387, l. 4-11.
l. 24-36.	Cic., *De offic.*, III, 8, p. 348, liv. 11 20, p. 349, l. 1-3.
l. 39-43.	Cic, *De offic.*, III, 9, p. 350, l. 1-3.
l. 49-53.	Hor., *Ep.*, I, 16, v. 50-53.
l. 55-57.	Cic., *De offic.*, III, 8, p. 346, l. 16-18.
Col. 996, l. 1-12.	Cic., *De offic.*, III, 10, p. 354, l. 7-8; p. 355, l. 1-7.
l. 19-22.	Cic., *De offic.*, III, 10, p. 356, l. 7-9.

Quibus hinc et inde multa scientia excerptis, atque in unum coadunatis, de absoluto opere ita prædicat Hildebertus : « hæc præscripta servantem licet in tranquillo vivere, et ad normam rationis

vitam reducere (1); » atque etiam nonnulla addit tum ad vitia corrigenda cum ad libros non sine emolumento legendos conducentia.

Jam vero sententiam de morali philosophia in pauca conferamus.

Equidem optima doctorum moralium, eorumdemque profanorum, præcepta collegit ordinavitque Hildebertus; dubitaverim tamen an ex iis efformari valeat vir ille christianus quem effinxit S. Ambrosius; atque etiam hoc opus aperte declarat quanto moralis illa doctrina, quæ ex Evangelio deducitur, præstet ethnicorum doctrinæ, quantumlibet commendandæ. Id tamen cuique quam maxime probandum est, quod ex auctoribus optima quæque delibavit, atque in medium protulit Hildebertus; his enim voluminibus ad omnes tunc proficiscebantur monimenta præceptaque vitiis emendandis accommodata. Præterea in veteribus scriptis adeo volutatus videtur, ut vix ullum memores scriptorem, quem familiarem non habuerit; atque nescio utrum litteras, quibus excelluit, magis suspiciam admirerque, an bonas disciplinas, quæ in eo tantæ sunt, ut præcepta illa, hinc et inde selecta, summa arte inter se nexa et jugata videantur. Igitur quantum a vero aberrent qui suam clero medii ævi in iis quæ ad latinas litteras pertinent, inscitiam exprobrant, ex Hildeberto disce.

(1) Hild. *op.*, col. 996.

LIBELLUS DE QUATUOR VIRTUTIBUS VITÆ HONESTÆ.

Agitur in hoc poemate (1) de quatuor virtutibus, quas in præcedenti tractatu descripsit Hildebertus, scilicet de prudentia, fortitudine, temperantia et justitia, postea de mensuris singularum virtutum. Quæ vero disputata sunt, ea, ut Beaugendre placet (2), nonnisi synopsis videntur sententiarum et præceptorum moralium ab Hildeberto jam collectorum ad ipsius commodum, aut etiam ad institutionem juvenum, quibus ejus lucubrationes ad mores informandos tradebantur. Cæterum quis sit libelli scopus, quidve valeat poesis, ex his conjicias:

Quatuor eximias virtutum proprietates
Complures docti disseruere viri:
Quarum se formis si mens humana coaptet,
Perfectum faciet integra vita virum.
Officiis igitur propriis descripsimus illas,
Fiat ut his apte morigeratus homo.

(1) Hild. *op.*, coll. 997-1004.
(2) Hild. *op.*, coll. 997-998.

PARS TERTIA.

Thesis epilogus.

Jam nunc quæ de Hildeberto fusius forsan disputavimus, ea brevissime repetere placet.

1° Feruntur Hildeberti epistolæ, sermones, sanctorum vitæ, cujuslibet generis poemata operaque cum theologica tum philosophica.

2° Beaugendriana editio in plurimis mendosa est. Nonnunquam enim immutandæ sunt epistolarum chronologica series atque inscriptiones. Ascribuntur etiam Hildeberto opera quæ minime scripsit.

3° In iis, quas obiit, partibus, sive presbyterum magistrumque, sive archidiaconum, episcopum necnon archiepiscopum spectas, primas obtinuit Hildebertus.

4° Inter ea, quæ sustinuit, adversa, animum for-

tem, officio et romanæ Sedi addictissimum exhibuit.

5° Utique prudenti vitam consilio monuit.

6° In utrisque sacris profanisque litteris plurimum versatus, S. Augustinum præcipue et latinos poetas familiares habuit. — In philosophicis usus est Cicerone et Seneca. Hunc etiam in epistolis sapit atque ad imitandum elegit. Quo factum est ut in eloquendo versificandoque plurima corrupta sint. Vitio enim temporis raptus, tantum a Seneca nonnunquam defluit Hildebertus, quantum ille ab antiquis descenderat. Quod tamen non obstitit quin scientia doctrinaque atque illa, qua apud omnes valebat, auctoritate, multum profuerit ad promovenda litterarum studia, mores emendandos, ecclesiasticam disciplinam stabiliendam, exactionesque potentissimi cujusque compescendas.

7° Etsi e poematibus maximam laudem consecutus est, non exinde tamen potissimum probandus videtur. Equidem carmina facili currunt metro; multæ vero in iis offendunt maculæ. Hæc inter carmina ea quæ de *Mahumete*, de *Nummo* et *Fabulis* sunt; imprimis spectanda sunt.

8° Jure ac merito concionator egregius habetur. Exceptis enim mendis, quæ tempori præcipue ascribendæ sunt, populis christianam veritatem edocendis atque etiam animis audientium commovendis aptissimus fuit.

9° Multum ad historiam hujusce temporis illustrandam conferunt epistolæ.

10° In theologicis ita enituit, ut non modicum ab eo subsidium theologiæ scholasticæ medii ævi auctores susceperint.

11° In philosophicis, inter præstantissimos hujus ævi metaphysicos, S. Anselmo proximus, computandus videtur (1).

(1) Tenneman, *Manuel de l'hist. de la philos.*, t. I, p. 145, tr. Cousin.

APPENDICES.

N° 1.

De Cenomanensibus rebus.

(V. *sup.* p. 32.)

Anno 1062, Herbertus, Cenomanorum comes, ex prosopia, ut fertur, Caroli magni oriundus (1), obiit (2). Quo mortuo, exstincti quidem atque omnino deleti sunt ejusdem comitatus masculini hæredes (3). Tres vero supererant filiæ, Herberti II sorores, nempe Margareta, Gersenis vel Hersindis, et Paula, quas Hugo, Herberti I filius, Herbertique II pater, e Bertha, Thibaldi Blesensis comitis sorore, et jam primum nupta Alano, Britonum comiti, susceperat (4).

Quarum unam, Margaretam scilicet, Robertus, Guillelmi

(1) Ord. Vitalis, *Hist. eccl.*, l. IV, ap. *Rec. des hist. des Gaul. et de la Fr.*, t. XII, p. 591, c.

(2) Chronicon Ruyensis Cœnobii, ap. *Rec. des hist.*, etc., t. XII, p. 563, c.

(3) *Gesta Gen. Epis.*, ap. Mabillon. *Veter. ana.*, t. III, p. 314.

(4) Ord. Vital., *Hist. eccl.*, l. IV, p. 224, tr. Guizot.

Nothi filius, in futuram uxorem, anno 1062, accepit, quæque haud multo post obiit (1).

Hersindis Alberto-Athoni, Liguriæ Marchioni, nupta, duos ex eo filios, Hugonem scilicet et Fulchonem, habuit (2).

Tertia demum, Paula nomine, Lancelino de Balgenceio matrimonio conjuncta, Joannem de Flexia, Heliæ genitorem, peperit (3).

Igitur pactis Roberti, filii sui, cum Margareta nuptiis, Guillelmus, ratione matrimonii, hæreditatem Herberti sibi vindicavit, id permittente Gaufredo Barbato Andegavensi, qui a Roberto, adstante patre, hominium debitamque fidelitatem recepit (4), renitente vero Fulchone Richino.

Haud multo post, Cenomanensium proceres, Normannorum imperii impatientes, miserunt in Italiam qui Athonem, cum Gersindi uxore, filioque Hugone, arcesserent, atque ejectis Guillelmi præsidiis, interempto etiam Umfredo, Regis dapifero, se, civitatem et totam simul regionem Athoni tradiderunt (5).

At ille Cenomanorum levitatis conscius fidemque eorum cum pecunia deficere advertens, in Italiam rediit, urbe Gaufredo de Meduana, cum uxore filioque Hugone, commissa.

Quem cum ob exactiones odio haberent Cenomani, *Communiam*, inter perpetranda scelera, inierunt. Quare Hugo ad patrem in Italiam dimissus est; Gaufredus non procul ab urbe secessit; Gersindis vero remansit in civitate, multa secum moliens ut Cenomanum Gaufredo traderetur. Et ille quidem,

(1) *Ibid.*, p. 224.

(2) Ap. *Rec. des hist.*, etc., t. xii, p. 539. n.

(3) Ord. Vitalis, *Hist. eccl.*, l. viii, ap. *Rec. des hist.*, etc., t. xii, p. 639. Ex eodem Order. Vitale, Paula videtur ipsi Joanni nupsisse, ex eoque tres filios, inter quos ille Helias, suscepisse. L. IV, p. 244. Tr. Guizot.

(4) Or. Vitalis, *Hist. eccl.*, l. IV, ap. *Rec. des hist.*, etc., t. xii, p. 591, n.

(5) *Gesta Cen. Epis.*, ap. Mabillon, *Veter. ana.*, t. iii, p. 344.

quamdam ingressus civitatis arcem, cives iterum hostiliter prosecutus est. Inde factum est ut proceres ad se Fulconem, Andegavorum comitem, advocaverint, qui Gaufredum de Meduana, in arce inclusum, obsideret. Gaufredus noctu elapsus est (1).

Interea Guillelmus maximo Normannorum et Anglorum exercitu Cenomanum, anno 1072, invasit, ejecta præsidia, trucidatosque milites ulturus. Cui, civitatem jam obsidenti, claves a civibus, terrore perculsis suppliciterque egressis, iterum delatæ sunt.

Quod ægre ferens Fulco, qui urbem sui juris esse contendebat, Joannem de Flexia, ut pote faventem Normannis, aggressus est. Cui suppetias venit Guillelmus. Jamque acies ad ineundum certamen parabantur, cum, intercurrentibus pacis sequestris, acceptoque Roberti dominio, Fulco, anno 1077, donum ratione matrimonii antea factum, comprobavit (2).

Quod tamen non obstitit quin, post decessum Arnaldi Antistitis, anno 1081, Guillelmus et Fulco, de jure conferendi Cenom. episcopatus, contenderint (3).

Equidem Hoellus, consilio impulsuque Samsonis Bajocensis, qui oblatum munus deprecatus, erat « curam et seculare jus Cenom. episcopatus » a Guillelmo accepit (4). At, cum propter prædictam contentionem, Turonis ordinari non potuisset, res Rothomagi, anno 1085, metropolitano assentiente, perfecta est (5).

Anno 1087, obiit Guillelmus, anno vero sequenti, Cenom. proceres, ipseque Helias Roberto, Normanniæ duci, summo

(1) *Ibid.*, p. 315-316.
(2) Ord. Vitalis, *Hist. eccl.* l. IV, ap. *Rec. des hist.*, etc., t. XII, p. 592-b-e.
(3) *Gesta Cen. Ep.* ap. Mabillon, *Vet. ana.* t. III, p. 286.
(4) Ord. Vitalis, l. IV, *ibid.*, t. XII, p. 591, b. 288.
(5) *Gesta Cen. Episc. Ibid.*, t. III, p.

plausu a clero populoque excepto, fidem obligarunt (1).

Paulo post, comitatus obtinendi cupidus, regionem devastare, cives sibi adversantes insectari, ipsumque præsulem, Roberto adhærentem, in vincula conjicere incœpit. Quem postea, invito animo, plebe vero concitata, ecclesiarumque januis, quod quidem doloris erat indicium, spinarum aculeis obstrusis, sedi restituit (2).

Sub finem sequentis anni, proceres civitatis obviam Hugoni, Athonis filio, jam adulto atque ex Italia, Gaufredi Meduanensis cura, iterum arcessito, occurrerunt, sacramenta, quibus se erga Robertum obstrinxerant, pro nihilo reputantes. Unus Præsul, Cenomanensium levitatis impatiens obligatæque fidei tenacissimus, ducem Normanniæ adiit, ea, quæ gesta erant, narraturus. At Robertus, ultra modum inertiæ et voluptati deditus, rem parum curare visus est, modo Episcopatus in ejus domino remaneret, quem tamen Hugoni spoliandum reliquit.

Anno 1090, postquam Cenoman. Comitem divitiis et virtute inopem esse cognoverunt, eum despectui et odio habuerunt. Ipse dominatus pertæsus reditum in Italiam meditatus est. Tum Helias de Flexia, ut pote cognatione propinquior, comitatum ab eo, datis decies mille solidis Cenomanensis monetæ comparavit (3).

Tunc temporis inter Guillelmi filios, Robertum scilicet et Guillelmum Rufum, qui multum antea dissidebant, convenit pax in has conditiones, ut Rex Cenomanensem provinciam dominio Roberti subjugaret (4).

Re nondum peracta, Robertus, cruce assumpta, Cenoman.

(1) Ord. Vitalis, *ibid.*, p. 631. c.

(2) *Gesta. Cen. episc. Ibid.*, t. III, 291.

(3) *Gest. Cen. Episc. Ibid.*, p. 299.—Ord. Vitalis, l. VIII, *Ibid.*, p. 638. a., p. 639. e-c.

(4) Ord. Vitalis, l. VIII, *Ibid.*, p. 648. b. — Ipse comes, ex *Rogero Hovedeno*, Regi comitatum de *Owe*, Fescannum, abba-

comitatum, una cum ducatu Normanniæ. Guillelmo fratri pro decem millibus marchis argenti oppignerasse narratur (1). Ea vero tempestate, Helias, Cenoman. comes, ad curiam Regis Rothomagum venit. Qui, cum in Terram sanctam profecturus esset, a Guillelmo Rufo amicitiam petiit, ut, salvo comitatu, votum explere posset. Rege minas pro amicitia intentante, atque ea, quæ pater habuerat, sibi vindicante, Helias peregrinationis votum, ut terræ provideret, intermisit. Ipse Guillelmus, curis aliis districtus, minas exsequi biennio distulit (2).

Eo loci res inter Guillelmum Rufum et Heliam devenerant, cum defuncti Hoelli successor eligendus est.

N° 2.

CHARTA HEHRICI I.

(V. sup., p. 73.)

Ego Henricus, Dei gratia, rex Anglorum et dux Normannorum cum Archiepiscopis Radulfo Cantuariensi et Gaufrido Rotomagensi et episcopis Ricardo Baiocensi, Turpso Abrincatensi, Rogerio Constantiensi, Willelmo Exoniensi, Ildeberto Cenomannensi cum abbatibus etiam et aliis religiosis viris conpluribus qui nobiscum huic diffinitioni presentes interfuerunt. consulentes et presentium memorie et futurorum scientie. omnibus catholice pacis et unitatis cultoribus nostrarum beneficio litterarum manifestare decrevimus qualiter per Dei mi-

tiam in Monte S. Michaëlis et Kerasburg *(Cherbourg)* et castella quæ a se (ab eo) defecerant bono animo concedere debebat. *Ibid.*, p. 648. n.

(1) *Chronicon Turonense*, ap. *Rec. des hist.*, etc., t. XII, p. 467. a.

(2) Ord. Vitalis, l. X, *Ibid.*, t. XII, p. 670. b-c., p. 671.

sericordiam et nostram instantiam inter Eudonem Cadumensium fratrum abbatem et Vitalem Savimensis monasterii fundatorem. Super Moritoniensi elemosina. quam eidem fratri Vitali ad honorem sancte Trinitatis pro amore Dei Wille.mus comes contulerat. Pacta sit et celebrata concordia. Oportet igitur primum sciri quoniam idem frater Vitalis antequam Savinensem domum inciperet. elemosinam pretaxatam concedentibus nobis sine concessione episcopi Abrincatensis atque suorum et ejusdem loci fratrum. Abbati Cadumensi possidendam et edificandam donavit. Postmodum autem annis fluentibus in predicto loco qui Savigneium appellatur monasterium inchoavit, et ibidem fratres sub Benedicti regula congregavit. Quorum profecto com *(sic)* minus sufficeret necessitatibus obviare, bito sepe cum eisdem consilio : nostram mansuetudinem expetivit. ut in usum ipsius fratrum prenominatam elemosinam nostra liceret auctoritate repetere. Cujus sane petitionis cum in aures ecclesie proferretur consilium placuit omnibus et factum est. Ut Cadumensium monachorum concessione et Eudonis abbatis donatione et nostra advocatione prefatam elemosinam quam per caritatem eis concesserat, per eandem utique caritatem liberam et quietam et in perpetuum Savigneiensi monasterio possidendam reciperet. decedente papa Paschali secundo. succedente vero in eundem pontificatum secundo Gelasio. Quam nimirum determinationem. Ne quis in posterum audeat permutare. presenti pagina prohibemus. Quam procul dubio ut de cetero rata permaneat et auctoritatis nostre preferat munimentum. nostro nobis placuit confirmare simul et roborare sigillo. Testes etiam ex utraque parte subscribi precepimus. Stephanum Moritoniensem comitem Ricardum comitem. Robertum filium regis. Hamelinum Meduanensem. Guille.mum de Albineio. et Nigellum et Hunfridum de Albineio. Wille. mum camerarium de Tancavilla. Guille.mum Patricium. Tomam de sancto Johanne Wille.mum Piperellum de Airam. Gaufridum de Clitona. Robertum de Haia Putei. Hugonem de Guilleio. Eduuardum Salesberiensem. Rannulfum

cancellarium. Johannem Baiocensis episcopi filium. Robertum Peccatum. Gaufridum capellanum. Walterum de Culleio. Rannulfum de Dusseio. Hec diffinitio fuit diffinita et hec carta sigillata ante me apud Argenteium *(sic)*. Teste episcopo Luxoviensi Johanne et Eudone Cadumensium monachorum abbate et monachis Willelmo de Allemannia. et Nigello et comite de Pertica (*sic*) Rotroco. et Rogero Marmione et Ricardo capellano et Symone de Molins et Hamelino de Exclusa.

Chartul. Savign., I, V.

N° 3.

CHARTA ILDEBERTI

(V. sup., p. 78).

Ego itaque Ildebertus, gratia Dei, Cenomannice sedis pontifex episcopali sacratione hec elemosinaria dona (1) et auctoritate divina et nostri sancti Juliani confirmo. et sicut hic sunt determinata rata firmiter tenenda censeo. et ex parte Dei et tocius sancte auctoritatis percipio. et omnes harum elemosinarum dona manutenentes et defendentes Dei benedictione et sancti Juliani cujus sum vicarius et nostra. benedico. illos autem qui istas elemosinas sic diffinite et legaliter datas, infringere, diripere, vel violare moliuntur attemptantes et minuere cupientes. nisi resipuerint et ad satisfactionem festini redierint. excommunico, et a liminibus sancte ecclesie separo donec redeant. Fiat. fiat. Amen.

Chartul. Savign., f. 173 v°, part. , n. IX. —Ms. conservé aux arch. de la Manche.

(1) Donations faites à l'abbaye de Savigni par Gautier de Maienne et par Hervé Carbonnel.

CORRIGENDA ET EMENDANDA.

PAG.

18, l. 7: carnem, *leg.* carmen.

21, l. 28: disputati sumus, *leg.* disputata sunt.

27, l. 11: tam... quam, *leg.* tum... cum.

39, l. 11-12: nedum... invehatur,... profitetur, *leg.* adeo non... invehitur,... ut profiteatur.

50, l. 3-4: nedum... intendat,... profitetur, *leg.* tantum abest ut... ut prædicet.

62, l. 4-5: nedum... sint, multum, *leg.* minime... sunt; multum vero.

79, l. 28: episcopi, *leg.* episcopii.

80, l. 5: quinquagenta, *leg.* quinquaginta.

86, l. 5: vertrum, *leg.* vestrum.

87, l. 5: unanimati, *leg.* unanimitati.

95, l. 5: qualem se. . exhibeat, *leg.* qualem se... exhibeat inquirentes.

99, l. 2: Ipse nuncupatur... profundere, *leg.* Ipse narratur... profundere solitus.

107, l. 5: abtulit, *leg.* abstulit. — l. 6, perstrinctis, *leg.* perstrictis.

— 22: trigenta, *leg.* triginta.

108, l. 15: fierint, *leg.* fierent.

113, l. 13: quam nunc, uti, *leg.* quibus nunc, usam.

116, l. 25: Dicitur... solere, *leg.* Dicitur... solita.

136, l. 6: in ordo, *leg.* is ordo.

137, l. 15: ullo, *leg.* ulli.

— 17: pavendum, *leg.* pascendum.

139, l. 3: via, *leg.* ira.

143, l. 6: Gabrieli, *leg.* Gabriele.

145, l. 16: mala, *leg.* male.

152, l. 13: trito, *leg.* trita.

172, l. 21: vel corpus, *leg.* an corpus.

— 22: imputandam, *leg.* imputandum.

— 26: forinsecis, *leg.* forinsecus.

173, l. 22: effectasse, *leg.* affectasse.

180, l. 1: secunda, *leg.* posteriori.

INDEX RERUM.

Vidi ac perlegi,

Cadomi, die XXV^a Maii anno MDCCCLV;

Facultatis litterarum in Academia Cadomensi Decanus,

F.-G. BERTRAND.

Typis mandetur.

Academiæ Rector,

Ach. FRANÇOIS.

Doctrinam in hac Thesi prolatam evolvere ac propugnare conabitur, præsentibus Decano et Professoribus Facultatis Litterarum in Academia Cadomensi, V. HEBERT-DUPERRON, die 3 augusti, anno MDCCCLV, in ædibus hujusce Facultatis.

His pro mea facultate tractatis, restat ut Viris illustribus qui non pauca, quæ ad rem meam facere viderentur, contulerunt, publice gratum significem animum. Laudibus ornandi sunt hoc nomine: Bertrand, Facultatis litterarum in Academia Cadomensi Decanus urbisque Præfectus optimus, qui, ex amplissimis bibliothecæ publicæ thesauris commodandis, studiis meis sæpe succurrit; Charma, doctissimus in eadem litterarum Facultate philosophiæ Professor, qui, pro suo in res ecclesiasticas, quas ipse adornavit, amore, crebro me per litteras, plenas humanitatis et officii, ad disputationem illam persequendam absolvendamque incitavit; L. Delisle, historiæ medii ævi peritissimus, cui debeo carmen de *Nummo*, insuper et chartas Henrici Ildebertique e Savigneiensi chartulario ipsius manu summa cura ac diligentia mihi excerptas; Mancel, Leflaguais, Trebutien, Cadomensis bibliothecæ Præfecti, quorum tanta fuit in me voluntas, ut librorum ad rem meam pertinentium lubentissimo animo officiosaque sedulitate copiam fecerint; A. Hebert-Duperron, Frater meus, consuetudine mecum et usu conjunctissimus, qui, dum ad laborem incumbebam, collegio Bajocensi moderando tanta experientia tantoque studio invigilavit. Tum

demum eloqui non possum quam juvet collata in me ab amantissimis Matre et Sorore obsequia memori piaque mente servare.

His igitur omnibus pro multis et magnis in me meritis gratias ago quas debeo maximas.

Tu vero, benevole lector, vale et conatui nostro fave.

Scripsi Bajocis kal. julii M DCCC LV.

V. HEBERT-DUPERRON,
Presbyter, gymnasii Bajocensis Rector.

